

Pd.42.





# CONTROVERSIA CANONISTICA

E titulo XXVI. Lib. III. Decretal.

DE

## TESTAMENTIS

Beneficiariorum ex bonis superfluis Ecclesiasticis  
ad causas profanas & pias

*Una cum*

Parergis assertionum ex Libro II. decretal.

## GREGORII P. M.

publicè  
defensa

à VV. PP. FRANCISCO SEBALD

&

FRIDERICO FRIDL,

In Ecclesia PP. Franciscanorum Viennæ ad S. Hieronymum,

PRAESIDE

P. F. BENEDICTO MÜLLNER,

Ord. Min. Reform. SS. Theologiae & SS. Canonum Lectore  
Generali,

nunc

Inclytæ Legionis Cæsareo - Berichlingianæ Missionario Castrensi.

Anno 1746, Mense Augusto.

Cum Licentia Superiorum.

---

VIENNÆ AUSTRIÆ,  
apud Petrum Conradum Monath. 1750.

ILLIBATO  
DEIPARÆ  
Intemeratæ, ac Immaculatæ,  
SUPREMÆQUE  
REGNORUM IMPERATRICIS  
CONJUGI.  
DEI SPIRITU PLENO  
GUBERNATORI  
Domus sibi concreditæ  
DIVO  
JOSEPHO

D. D. D.

*Munificentia cuiusdam Illustrissimi Domini S. R. I.  
Comitis & Mæcenatis Gratiissimi, Ordini Seraphico  
singulariter addicti,*

à Studio Canonico  
Franciscano.



## QUÆSTIO I.

An Clerici Beneficiarii de bonis Ecclesiasticis, vel, ut aliis loqui placet, Beneficialibus superfluis ad causas testari possint profanas?

**O**bservandum est I. Controversiam de Beneficiariorum Testamentis ex bonis superfluis Ecclesiasticis ad manus eorum jam devolutis in causas profanas conjunctam esse, si dicere fas sit, in primo affinitatis gradu cum ea, quæ nuper ex titulo XXV. l. III. Decretalium attenuori mentis indagine Dominum librabat Beneficiariorum in bona Beneficialia superflua. Satis & ex abundanti ea digesta fuit; tanti tamen momenti in cogitatu eorum, quibus præsens punctum superficialiter duntaxat ruminare arridet forsitan, haud esse videtur, nisi, ut inquiunt præsuppositivè, quanta molis eam esse oportet, quam in præsentiarum discutiendam suscipimus. Enim verò Beneficiarii, ajunt, seu Domini sint, seu non sint, bonorum, quorum meminimus, inextricabili obligationis vinculo, quamduo in vivis degunt, onerati continuò existunt sub Divini judicii inter-

I.

(A) 2

mi-

minatione, reatúsque passivi ad pœnam æternam in omnium planè tam Theologorum, quām Jurisperitorum, sententia expendendi superflua quantitatē notabilem attingentia usib⁹ sacris. At verò, dum res agitur de testamentis superfluorum ad causas profanas Beneficialium, diversam belli aleam nobiscum congreendi aperiri sibi opinantur; esto enim daremus, inquit, Beneficiarios non esse propriè Dominos bonorum istorum, aut faltem Dominium solummodo habere vinculatum, gravatum & infirmum, nihilominus eos sic testari posse necdum evidētum est. Ne tamen existimes, monent, hoc suum assertum à se fundari in Jure scripto; siquidem textus utriusque Juris nimis admodūm pellucidi sunt, qui in contrarium militant, quām ut in eos impingere intendant. Consuetudo (qua juxta Can. 5. d. 1. *Jus quoddam moribus est institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex*) sic testandi per mundum Christianum passim jam receptionem legis obtinuit, quam cum Ecclesia & Papa vigere non nesciant, nec tamen reclament, eam tacitè approbare censendi sunt cum sublatione obstaculi cuius denuncinque ex præcepto Ecclesiastico aut etiam naturalis undequeaque provenientis. Verū qui rem accuratiū ex A. A. ruminant, et si testandi Beneficiariis vindicent, & ad *Jus* non scriptum deflectant, aliatamen viā incedunt, ac jam valorem, nunc liceitatem, juxta diversitatem opinionum, in quas abeunt varias, talium testamentorum à consuetudine, præceptum Ecclesiasticum abrogante, ne sic testentur, repetunt. Ut proximiū ad difficultatem accedamus, & dicamus, quod res est; triplicem, si primò recenitam pro probabilitate etiam tenui destitutam habeas, hoc in passu reperire est sententiam. Una, quam tuentur Barbosa L. 3. J. E. U. c. 17. n. 67. Garcias de Beneficiis p. 2. c. 1. n. 16. Gonzalez ad c. 12. de testam. Azorius p. 2. l. 7. c. 9. q. 1. Wiesner h. t. n. 39. & ejus Discipulus Pichler h. t. n. 52. alique ab his citati, contendit: hujusmodi consuetudinem induci posse validè ac licet, & quod concomitanter sequi nécessit̄ est: testamentum Beneficiarii ex bonis superfluis ad usus profanos conditum pro valido & licito esse habendum. Altera adstruit: consuetudinem præfamat subsistere quidem posse ut validam, non tamen ut licitam, sieque stante simili conuentudine etiam immemoriali peccare mortaliter Beneficia-

ficiatum; si ex bonis Beneficialibus superfluis ad causas testetur non sacras; licet testamentum teneat, ac hæredes profani instituti hæreditatem tutâ conscientiâ adire, atque sibi appropriare queant. Ita Lessius l. 2. c. 19. n. 43. Covarruvias in c. 7. de testamentis n. 27. Pithing h. t. n. 42. Zoëlius eod. n. 42. Molinal. d. J. & J. disp. 147. n. 27. Tannerus tom. 3. d. 4. q. 6. n. 249. & alii apud istos. Tertia tandem, quæ nostrorum est Do-  
ctorum, intrepidè asserit; consuetudinem talém invalidè & illicitè induci. Ita inter alios Boëtius Epo ad c. 1. de testam. n. 84. Joannes Molanus tract. de piis testam. c. 40. ubi prolixè probat, licentiam testandi etiam à Papa adeptam non præbere Jus dispo-  
nendi in usus profanos, quod idem docet apud & cum Laymanno-  
tr. 2. c. 3. n. 7. Navar. Major. Abbas Panormitanus ibi citati.  
Van Espen loc. cit. c. 7, dicens: talia testamenta non declarari pro-  
forni & contencioso ut invalida propter odia litium, non tamen eximi  
mi ab injusticia ejusmodi testatores. Christianus Lupus tom. 1.  
Scholior. in Canones pag. 484. addens: Canones ita testari interdi-  
cenes, absit, ut etiamnum non obligent. Nemo se seducat. Deus non  
irritatur. Reiffenstuel h. t. n. 335. Engel h. t. n. 3. §. Verum. In-  
ter alia afferens: hinc non est vana vulgi opinio; vel experientia, quod  
bona Clericorum apud Laicos hæredes parum fruſtificant. Thomassius  
p. 3. l. 2. c. 40. & sequent. Paucis reapsle omnes Patres, Con-  
cilia & Doctores in Controversia de Dominio superfluorum nu-  
per citati.

Observ. II. Controversiam hanc magno opinionum varian-  
tium dissidiò impeditam minime procedere de superfluis patrimo-  
nialibus aut quasi talibus; de his enim Beneficiarios testari posse,  
in dubium vocare nemo auder, postquam liquidè adeò decisum  
est in nostro Jure c. 9. de testam. ibi: Consultationi tuae responde-  
mus, quod Clerici de his, que paternæ successionis vel cognationis intui-  
tu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amico-  
rum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenierunt ad ipsos, libere dis-  
ponere valeant. Et alibi sæpius. Quando nam vero res censenda  
sit donata aut legata intuitu Ecclesiæ, id desumendum esse vo-  
lunt passim DD. ex intentione testatoris, aut donantis. Inno-  
centius III, an. 1213, in cap. 15. h. t. rem ita accipendam esse

(A) 3

vor

voluit ibi : Considerandum est diligenter : utrum testator leget hoc modo : Relinquo istud Episcopo ; an : Relinquo istud Ecclesiae . An : Relinquo istud Episcopo & illud Ecclesiae ? In primo casu distinguendum est , utrum relinquatur Episcopo ab extraneo , an à propinquuo . Si ab extraneo generaliter verum est , quod præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiae , non persona . Unde Cathedralis Ecclesia de illo potest Canoncam petere portionem : quemadmodum Episcopo competit sua portio , si aliquid Ecclesie relinquatur : & hoc verum est , nisi testator exprimat , quod velit illud tantum Episcopi , non Ecclesie : in quo casu servanda est dispositio testatoris : secus si exprimat , quod velit illud tantum Ecclesie , non Episcopi : quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem Canonis immutare . si vero relinquatur Episcopo à propinquuo , præsumitur esse relictum intuitu personæ , nisi forte contrarium probaretur . Et de isto nihil potest Ecclesia petere in via ejus . Quod si hac distinctione non obstante ultra remanserit dubium , recurendum videtur ad præsumptiones & conjecturas , quas inter , inquit Menochius L. 3. de Præsumt. præsum. 27. prima erit , si res sit Ecclesiatica vel usui sacro deserviens , ut sunt paramenta , calix &c. tunc enim præsumptio stabit pro Ecclesia . Si vero sit Laicalis ut v. gr. vestis quotidiana , vitrum , cista , picturæ profanæ &c. conjectura favebit personæ Episcopali . Aliam præsumptionis ad præsens speciem pandit ipse Innocentius III. cit. ubi afferit : Illud autem est generaliter observandum circa eum , qui potest proprium possidere , prælationem vel administrationem Ecclesie non habentem ; quod si ei aliquid relinquatur specialiter non solum à propinquuo , verum etiam ab extraneo , intelligitur esse relictum non intuitu Ecclesiae , sed personæ , nisi probatio in contrarium apparereret . Casus accidere posset in simplici Canonico , qui hæres scriberetur , vel legatarius . Præterea extra item omnem positum est , quæstionem motam non versari circa bona necessaria , cum talia esse desinant , ubi vitæ defungitur Beneficiarius , si , quæ pro funeralibus ac debitis prius contractis expungendis aut natura ipsa , aut Jura determinant , dempta intelligas . Quod si aciem in bona retorqueamus parsonalia è peculio Clericali congesta , Abbas , Garcias , Epo , Lupus , Van Espen , Thomassinus & uno verbo omnes , qui infficiantur Clericos horum fieri Dominos , negant & pernegant constanter , non minus ac vehementer de illis validum & licitum fieri Testamen-

mentum ad causas profanas. Alii qui Beneficiariis bonorum istorum verum conferunt Dominium, ut Barbosa in c. 10. de testam. Navarrus de Red. Eccles. q. 1. monit. 26. & 43. Reiffenstuel h. t. n. 16. cum aliis stant pro validitate & liceitate ejusmodi Testamenti. Imò Barbosa incunctanter asserit: *de facto sic sentire omnes.* Sed nec vidit, nec gustavt Barbosa omnium sensa autorum, alioquin vel in à nobis allegatis comprehendisset contrarium. Hoc interim certum esse debet: Beneficiarum sic testari posse validè & licetè, si quæsitus habeat eorum sibi Dominium, non fecus. Vide de hoc dicta in præcedente controversia sub n. 5.

Observ. III. Punctum difficultatis præsentis à nobis nec extendi ad questionem: an Beneficiarius, cui abundat patrimonium pro necessaria vita honestæ sustentatione testari queat ad causas profanas ex bonis Beneficialibus statui suo necessariis, & alias hunc in finem expendendis, nisi patrimonialia sufficerent. Res rara raritate rario plurimis hocce ævo videretur; si cum S. Juliano Pomerio L. 2. de vita contemplat. c. 9. & seq. Van Espen p. 2. tit. 32. c. 5. ac aliis quibusdam prætendere conaremur: bona Ecclesiastica etiam Beneficia in tantum patrimonia esse pauorum, ut à Clericis divitibus sine flagitio nequeant obtineri, minus consumi: quidquid de illis locupleti dari contingit, id egenis subtrahi, perdique, quidquid abundantia adjicitur, eas res esse non divitum delicias, sed pauperum necessitatibus sacras, Christo egenis hospitantib[us] oblatas. Acriùs adhuc in nos inveherentur, si cum Thomassino L. de vet. & nova Eccl. p. 3. L. 3. c. 4. ille nobis insideret animus, ut diceremus Juliani sententiæ favere Can. 25. Concilii Antiocheni relati c. 23. c. 12. q. 1. Augustinum Epist. 50. ad Bonifacium, Hieronymum Ep. ad Nepotianum, Dionysium Carthusianum tract. contra pluralitatem Beneficiorum art. 14. imò & decreti compilatorem Gratianum post Can. 7. c. 1. q. 2. Rigidistarum titulum imponebant Lovaniensium, quô Van Espen condecorari meruit à P. Pichler in tit. de decimis. n. 7. qui tam pro responsu suis in principiis nihil reponeret, quam illud Math. 7. v. 13. *Intrate per augustam portam: quia lata porta & speciosa via est, que dicit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Quam angusta porta & arcta via est, que dicit ad vitam: & pauci

pauci sunt, qui inveniunt eam. An non etiam rigida, an potius laxa? suspiraret! Itaque ut viā mediā, in qua alias consistit virtus, incedamus, ante fundamenta utriusque sententiae ē diametro hoc rei in negotio oppositæ referre lubet, postea cum Bellarmino sentiemus. I. Igitur S. Julianus Pomerius ex eo suam probat sententiam; quia, quod habet Ecclesia, cam omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui sibi sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit, habentibus dare, quam perdere. Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Evangelio vivunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum sed communium possessores. Si enim Paulus, qui nihil habebat, noluit de Evangelio ubi laborabat, sed suis manibus vivere, ne gloriam suæ mercedis quis evacuet: quid nos, qui & propria nolumus amore possidendi, non vivendi necessitate relinquere, & accipere insuper volumus, non unde vivamus, sed unde censem nostrum incrementis damnabilibus augemus? II. Probant eandem sententiam alii ex Concilio Aquisgranensi, quod vix non verba Pomerii adducere voluit Can. 107. ibi: Nec illi, qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clericis quidem Spiritus S. dicit: peccata populi mei comedent. Sed sicut nihil habentes proprium non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundanti, sed aliena peccatu suscipiant. III. Laudant pro se S. Chrysostomum L. 3. de Sacerdot. c. 15. ibi: Hic, quod claro genere natus sit, in Episcopatus ordinem cooperatur, ille quod opibus abundet, neque indigeat alienis ex Ecclesiæ provenientibus quasfit. Addunt sibi nimium evidenter favere Can. 25. Conc. Antiocheni ibi: Ex iis autem, quibus indiget, si tamen NB. indiget, ad suas necessitates percipiat. Vel ut ex Græco vertit Gentianus Hermetus: Et etiam, si sit opus, in necessarium suum usum accipiat. IV. Arguit Estius apud Van Espen: Apostolus 1. ad Timoth. 5. v. 16. scribit: Si quis fidelis habet viduas, subministrat illis: & non gravetur Ecclesia, ut iis, que verè viduae (id est, desolatæ & humanis destitutæ subsidiis) sunt, sufficiat puta id, quod est in Ecclesiæ peculio. Itaque si fidelis dives juxta Paulum jubeatur viduas suas sustentare, ne alias gravetur Ecclesia, reddatürque insufficientis ad verè viduis subveniendum, quantò

quando magis, qui vel patrimonium, vel unum habent Beneficium Ecclesiasticum, ex quo sufficienter ali possunt, abstinere debent à gravanda Ecclesia, quo plures ministros alere queat, per quos Divina celebrentur officia, & Christiani populi salus procuretur.

V. Hunc ad Apostoli textum respexisse, opinantur, Dionysium Carthusianum cit. sub n. 2. cùm asserit: *Bona Ecclesia sunt stipendia ministrorum ejus indigentum hujusmodi bonis. Quod si eis non egeant, non sunt capaces talium bonorum &c.* Qui etiam in scholasticos saeculo 12. contrarium sustinere incipientes stomachatur dicens: *Securius ac salubrius creditur ac paretur dictis Sanctorum, per quos locutus est Spiritus Dei, quam scholasticorum quorundam, qui suo magis, quam expedit, credunt & ministrum ingenio, auctoritatem Sanctorum ad suam retorquentes opinionem - - confundius tamen credendum & standum est verbis Hieronymi, Bernardi, in modo summorum Pontificis, Beatique Prospere; ait enim Damasus Papa: qui bonis parentum sustentari possunt, si accipiunt, quod pauperum est, Sacilegium incurunt.*

VI. Dionysio inter alios volunt, quoad prætens præluxisse Justinianum Imperatorem Nov. 3. c. 3. ibi: *Et illis haec ministrantur, qui pro veritate egent, & non habent aliunde alimentorum occasionem: ergo à sensu contrario, quod fortissimum argumentum est in Jure, si pro veritate non egeant, eis non subministrantur:*

Observ. IV. Sententiam nunc relatae extremè oppositam his- IV.  
ce inniti principiis. I. Quod sub imperio Justiniani M. non prohiberentur Clerici propria possidere, ut patet ex Nov. 123. cap. 3. ibi: *Episcoporum sive ante suam ordinationem sive post voluerit proprias res aut partem earum Ecclesie offerre, cuius sacerdotium accepit, non prohibemus.* Et c. 19. *Presbyteros autem & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores & Lectores res quolibet modo ad eorum Dominium venientes habere sub sua potestate præcipimus ad similitudinem castrorum peculiorum, & docere secundum leges, & in his testari.* Reponeret tamen prima sententia: se non negare Clericos habere bona propria posse, quod unum insinuant leges hujusmodi, neque abnuere Jus recipiendi annuos proventus Beneficio annexos Beneficiariis patrimonio abundantibus, id unum queri: an tales ministerium suum spirituale reueantur populo & Ecclesie exhibere gratis ad sensum illius præcepti: gratis accepisti, gratis date. Quod leges ad-

(B)

adductæ non exprimunt. Porro dicto Christi mandato non contravenire Clericos, qui, unde vivant, non habentes necessaria ex Beneficio recipiunt, post S. Julianum Pomerium docent PP. Aquisgranenses Can. 107, ubi afferunt : tales ad sic accipendum cogit vivendi necessitas, non habendi cupiditas. II. Quod Concilium Aquisgranense an. 816. celebratum Can. 115, doceat : Quanquam Canonis, quia in SS. Canonibus illis prohibitum non legitur, liceat limum induere, carnis vesci, dare & accipere proprias res & NB. Ecclesie cum humilitate & iustitia habere &c. ergo possunt habere bona propriæ & simul Beneficii proventus. Diceret tamen prior sententia, consequens fore verum pro casu, quo patrimonialia non sufficiunt ad honestam sustentationem ; eò quod eadem Synodus c. 4. expressè prohibeat : Ne tam de suis, quam de Ecclesie facultibus plus accipiant, aut exigant, quam oportet, id est, accipiant cibum, potum aquæ vestimentum, & his contenti sint. III. Solet sententia efficacius probari ex c. 19. c. 12. q. 1. ibi : Episcopi de rebus propriis vel acquisitis vel quidquid de proprio habent, heredibus suis, si voluerint, relinquent, quidquid vero de provisione sue Ecclesie fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive oblationibus, omnia in Jure Ecclesie reservare censuimus. Simile quid habent Can. 20. 21. & 22. sequentes : ergo supponit Ecclesia & bona propria & Beneficia reperiri posse apud Beneficiatum. IV. Ad Canones antiquos accedunt recentiores, ait sententia hæc. Nam c. 1. de Peculio Cleric. statuitur, ut : si nihil patrimonii habens Presbyter, sibi postea emerit prædia, ea post obitum esse illius Ecclesie. Idem docere videtur Alexander III in c. 12. h. t. V. Deprædicant hujus sententiae patroni pro ratione generali textum Pauli 1. Corinth. 9. concedentem, quod serviens altari justa ratione participet de altari, & quod nemo suis stipendiis militare cogendus sit, quæ verba, post alios ait Clariss. P. Böckhn. h. t. n. 4. propriæ loquuntur de eo, qui tantum habet in suo patrimonio, ut de illo sustentatus militare possit ; qui enim nihil habet, quomodo propriis stipendiis militabit ? Prosper Fagnanus ad c. fin, de Peculio Cleric. inde eriam probat suam hanc opinionem ; quia juxta eundem Apostolum dignus est operarius mercede sua, nec denarij defraudari debent in vinea operantes. Veruntamen Synodus Aquisgranensis cit. c. 107, Paulum quodam modo aliter intelligere.

gere viderunt, inquit enim: Secularis militia, quia cœlestia non habet, terrena strenue certanibus præstat, qui autem Ecclesiæ serviant, & labori suo velut debita reddi oportere credentes, ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, NB. nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ servientes stipendia terrena, ac non potius præmia eterna percipiunt.

Observ. ultimo utramque hanc sententiam accuratius considerasse Bellarminum, ac eam tandem ab illo Conciliationem conceptam esse & judicium: Ex his opinionibus, inquit L. 1. de Clericis, c. 27. prima est tuior, est secunda fortasse est verior, nisi hoc modo concilientur, ut dicamus S. Prosperum loqui de illis, qui plane sufficiantem habent sustentationem ex patrimonio aut Beneficio. Tunc enim alterum est superfluum, & proinde pauperibus debitum. Alios vero autores loqui de illis, qui neque ex patrimonio, neque ex Beneficio sufficientem omnino sustentationem habent. Hi enim utrumque retinere possunt, modo ex utroque nihil accipiant ultra sustentationem decentem, juxta conditionem statutis proprii. Quod enim vere superfluum est, dandum esse pauperibus Theologi communiter docent. Ei temperamento tanto lumbentiores assentimur, ait Thomassinus loc. cit. quod moribus hodie receptissimis non adversatur. Van Espen quoque persensa hac reconciliandi ratione sub n. 31. subscribere videtur, cum asserit: si cui hoc temperamentum placet, me dissentientem non reperiet. Proabant & alii hanc discordantium opinionum concordiam; alii tamen displicet, qui cum Lessio de J. & J. L. 2. c. 4. dubio 6. n. 38. Lugone tract. eod. disp. 4. sect. 3. n. 44. ed. granensis &c. hodiernis quoad ingenii perspicacitatem, ne mentionem fiat de Zelo Spiritu Dei pleno, vel in minimo cessisse: eos & aliis temporibus inolecant; at leges frugalitatis, modestiae, abdicationis cupiditatum terrenarum, erogationes superfluorum

in egenos, volunt esse immutabiles ac æternas. Cum proinde aptior non appareat cum moribus hodie usitatissimis eos reconciliandi methodus, ac illa à Bellarmino proposita, videtur præ aliis amplectenda. His sic præmissis, ad quæstionem

Dicendum est: Clericos Beneficiarios nec validè nec licite posse ex bonis Ecclesiasticis superfluis & ad manus eorum jam devolutis testari ad causas profanas. Ita citati sub n. 1, contra ibi citatos & alios.

## VI.

Probatur Conclusio I. ex Bulla Pii IV. incipiente: Grave nobis, edita an. 1560. §. 1. ibi: Cum itaque quam plures Prælati, Presbiteri, & alie Ecclesiastice personæ diversarum Provinciarum, Locorum & Dominiorum, & præserium Regni Neapolis nulla à nobis seu sede Apostolica facultate testandi suffulti vel muniri, sed temeritate propria, & suorum forsan ad importunam suggestiounem impulsi, in eorum voluntatibus Testamenta seu condendo, ac donationes seu legata aut codicillos faciendo de bonis suis diversimode, licet id facere nullo modo NB. possint, neque debeant, disponere audeant. Et §. 2. Decernimus & declaramus omnia & singula Testamenta, donationes, codicillos, legata - per quos cunque Ecclesiarum Prælatos etiam si Patriarchali & Archiepiscopali prælocorum dignitate - - etiam in favorem hospitalium & aliorum piorum locorum sine nostra seu eiusdem sedis speciali licentia facta - - nulla NB. irrita, inania, invalida fore & esse. Non ignoraverat Pius IV. cap. 9. & 12. de Testam. sed neque ei sermo est de bonis Ecclesiæ, cum signanter exprimat: de suis: ergo eum loqui necesse est de superfluis Beneficialibus; atqui si de his nullo modo possint, invalidè agent, quemadmodum quia frater Minor nullo modo Testamentum condere potest, sicut & servi, deportati, filius familiæ in patria potestate constitutus, testando invalidè agunt. t. t. J. Quibus non est permisum &c. & ff. ac c. Qui Testam. facere possunt. Rursus si nullo modo debent, si contra faciant, illicitè agunt. ergo. Si forsitan quis scilicetaretur, cur igitur nullo modo possint ac debeant sic testari? nescio, an arrideat ad interim responsum B. Hugonis Lincolniensis Episcopi in suprema ejus hora à suis moniti, ut Testamentum conderet, hujus tenoris: Nec habui quidquam nec habeo, quod non sit Ecclesiæ, quam regendum suscepi; attamen ne fiscus iste pietatis

piat, pauperibus tribuatur totum, quod videor possidere. Sed respexerit probabilius Pius IV. cum Alexandro III. relato c. 9. & 12. h.t. ad Canonem 40. vulgo Apostolorum ibi: *Sint manifeste res propriae Episcopi, si tamen habet proprias: & manifestae Dominicae: ut protestatem habeat de propriis moriens Episcopus, sicut voluerit derelinquere, vel ad Can. 24. Conc. Antiocheni, aut ad Can. 49. Conc. Carthaginensis III. apud Gratianum. c. 12. q. 3. c. 1.* Neque enim oportebat eum se reflectere ad L. 42. §. 2. c. de Episc. & Cleric. ibi: *De his vero Episcopis, qui nunc sunt, vel futuri sunt, sancimus: nullo modo eos habere facultatem testandi, vel donandi, vel per aliam quamcumque cogitationem alienandi quid de rebus NB. suis, quas, postquam facti fuerint Episcopi, possederint, & acquisierint vel ex Testamento, vel donationibus, vel ex alia quacunque causa, exceptis duntaxat his, quas ante Episcopatum haberint ex quacunque causa, vel quas post Episcopatum a parentibus & Thejis, hoc est, patruis, avunculis & a fratribus ad ipsos pervenerunt, peuenturaque sunt. Quaecunque enim post ordinacionem ex quacunque causa extra prefatas personas ad ipsos pervenerunt, ea jubemus ad SS. Ecclesiam, cuius Episcopatum tenuerint, pertinere, & ab ea vindicari & evinci.* Non inquam decebat Pium IV. respicere ad legem Principis Laici, cum haberet Patres & Concilia innumera, praesertim Concilium Lateranense an. 1179, sub Alexander III. idem statuenda, quamvis Baronius ad Sæculum V. referat: leges de Cleric. & Episcopis à Justiniano promulgatas duntaxat fuisse majoris observantiae causâ, latae vero à Patribus Ecclesie Orientalis præcipue Patriarchis Constantinopolitanis.

Respondebunt A. A. Pium IV. cum autoritatibus allegatis tantum velle, quod hujusmodi Testamenta sint illicita, non vera invalida. At §. 2. Bullæ citatae ea declarat nulla, irrita, inania, ac invalida. Regerent alii: hoc solummodo verum esse pro foro externo, non interno. Verum, præterquam, qui nullo modo potest ac debet sic testari, non videtur posse testari pro foro interno, aliquin jam aliqua modo posset, sicut Beneficiarius nec debet pro foro interno nec externo ira testari, ita neque potest, cum eodem in sensu Papa sumat ly possunt, & ly debent. Deinde licet actus queat pro foro interno esse validus, quin subsistat in externo, uti & nos concedimus in Testamento, alienatione rerum Ecclesiastica-

rum, electione &c. Attamen hoc procedit duntaxat de actibus illis, qui de Jure Naturæ sunt validi, cuiusmodi actus non est Testamentum ex bonis superfluis ad causas profanas defectu Domini, ut nuper dictum est, & mox amplius dicetur. Quare

VIII. RR. AA. alii aliter. Bullam Pii IV. aliaque Jura allegata esse exaudienda de Jure scripto, non de Jure consuetudinario, quod jus scriptum plurimis in locis sustulit.

Contra tamen est I. Juxta c. 9. de consuetudine. Licet longæ consuetudinis non sit levis auctoritas, non tamen est usque adeo validura, ut vel Juri positivo debeat prejudicium generare, nisi fuerit rationabilis; quin imo per c. 3 eod. tit. consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse monenti; atqui dicta consuetudo irrationalis est, & Canonicis obviat institutis: ergo. Min. pr. Tum quia illa consuetudo, quæ finè peccato mortali ex Sententia Molinæ L. de J. & J. disp. 147. n. 27. Azorii Instit. Moral. p. 2. l. 7. c. 9. q. 1. Lessii, Covarruvia cit, & aliorum multorum utri non licet, nequit esse rationabilis: quin imo obvia debet esse Canonicis institutis, per quam, juxta SS. PP. Sententiam, & Canonum constitutiones, quod pauperibus vel causis piis est erogandum, ad profanos usus detorquetur; sed ejusmodi consuetudo esset præsens: ergo. Tum consuetudo? ut in causis Ecclesiasticis dictum populi pro sententia teneatur, juxta summarium c. 3 de consuet. est invalida; quia sententia à non judice lata, ut ibi aferit Innocentius III. est nulla: ergo & consuetudo, quæ id, quod pauperibus ex intentione fidelium & Doctrina Patrum, ut ostensum est in controversia de Dominio Beneficiariorum debet vel causis piis, expenditur in usus non Sacro's. Tum hactenus introducta non est, nec induci potuit, & si inducta foret, irrationalis esset consuetudo, quæ Clerici in vivis possint licet saltem & tutâ conscientiâ expendere superflua Ecclesiastica in causas profanas: ergo minus inducta erit, aut si inducta foret, irrationalis esset consuetudo sic testandi. Prob. conseq. Clerici minus jus habent ex c. 8. & 12. de Testam. per ultimam voluntatem disponendi de bonis superfluis, quam per actum inter vivos; cum in vita queant erogare superflua in causas pias, non vero

verò per testamentum: ergo, si prior nulla sit, aut irrationabilis, à fortiori esse debet posterior. III. Consuetudo non potest reputari pro legali, quamdiu est irrationabilis, tamdiu vero est irrationabilis, quamdiu supponitur illicita, atqui consuetudo, de qua discurretur est irrationabilis; siquidem afferit Ecclesiae gravamina, & damna, cum diminuat illius Dominium, fraudet intentione fundatores, datur scandalis & vanitatibus occasio, sèpius Ecclesiæ remanent irrefecta, non comparantur ornamenti &c. quæ tamen si substantia defuncti ex bonis Beneficiis maneret penes Ecclesiæ, damna evitaret Ecclesia. Dicimus autem in c. 1. de consuetudinibus. Consuetudines, quæ Ecclesiæ gravamen inducere cognoscuntur, Nostra nos decet consideratione remittere. Rursus c. 12. de Testam. docet Alexander III. aliquid juxta servitii meritum conferre, vi consuetudinis non esse improbandum: ergo improbanda & irrationabilis sit consuetudo, oportet, quæ indistinctè omnia, vel plurima sìnd omni servitii merito conferuntur. Hæc, similiaque considerantes Zelosi nonnulli animarum Pastores, quos inter & nos novimus aliquos, consanguineis pauperibus modicum tribuebant quid, residuum Ecclesiæ propriæ ac ejus pauperibus restituebant, à qua acceperant. IV. Si tale testamentum foret validum, sed illicitum juxta citatos, ita ut testans hoc modo peccet graviter, cum in notorio peccato moriatur, non deberet sepeliri in loco sacro per Can. 16. c. 13. q. 2. Quod tamen nostram sententiam non urget, ut videbimus infra. Contraria est V. &

Prob. Conclusio II. Beneficiarii non possunt sic testari de Jure positivo & scripto, ut ostensum est, nec inficiantur AA.; sed neque de Jure consuetudinario: ergo. Prob. min. Consuetudine induci non potest, ut quis testetur ex rebus alienis v. gr. deposita, commodata, furtò ablata &c. Sed bona Beneficialia post obitum Beneficiati remanentia sunt res alienæ scilicet Ecclesiæ & pauperum, cum illorum non habuerit Dominium, ut fusè probatum ivimus in controversia priori, & vel inde ostendi potest, quod afferit Innocentius III. in c. Requisiti. 15. h. t. ibi: Nec est corriarium, quod in Canone (Concilii Agathensis c. 6.) legitur, videlicet quod Pontifices, quibus ab extraneis aliquid auct-

cum:

cum Ecclesia aut sequestratim dimittitur, aut donatur (quia hoc ille, qui donat, pro redēctione animæ suæ, non pro commōdo N.B. sacerdotis probatur offerre) non quasi suum propriū, sed quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt: quoniam hoc verum est, cum testator ita sequestratim legat illud Episcopo, quid non exprimat, utrum velit ad Episcopum tantum, non ad Ecclesiam pertinere. Ex quo sic Innocentius III. ex dictis sub n. 2. regulam Generalem allegat discernendi bona, quæ Beneficiario adveniant intuitu & consideratione Ecclesiæ, quæ vero non. Si testator exprimat clare & distinctè, quod à se relictum velit tantum Episcopi esse, & non Ecclesiæ, tunc concludit Pontifex, relictum non esse censendum ex mente testatoris obvenire Beneficiario intuitu Ecclesiæ, sed persona. Addens non obesse huic suæ Doctrinæ Canonem Conc. Agathensis, quia ille procedit duntaxat, & verus, invariatusque manet, quando testator distinctè non exprimit: se rem relinquare velle soli Episcopo, & non Ecclesiæ, & quod consequens est, intuitu Ecclesiæ: ergo cum fideles offérentes, piisque fundatores non intenderint favere tantum commōdo Sacerdotis vel Beneficiarii, nec expresserint: se tantum velle legare Episcopo aut Beneficiario, juxta Innocentium III. quæ contulerant Ecclesiæ consideratione dederant, non intuitu personæ, sive non ut proprium Sacerdotis, sed ut dimissum Ecclesiæ, & inter facultates Ecclesiæ computandum tribuerant; de quibus sanci Beneficiarius disponere ad causas profanas nequaquam potest. Subdit Innocentius in cap. cit. Que Episcopus aquirit, non illis (puta capellis & monasteriis) sed illi (Ecclesiæ Cathedrali) tantum acquirit, cui est Spirituali conjugio copulatus.

X. Prob. III. Si hæreditas debitūs onerata dividatur, non eximuntur hæredes à solvendis debitūs, nec possunt tutā conscientiā, vel juris adminiculo de bonis hæreditate adeptis sed adhuc pro rata oneratis iterato testari, nec consuetudo quæcumque sic testanti favere potest, quæ corruptela potius foret: ergo similiiter in nostro casu. Prob. conseq. Ideo juxta Theorem pag. 234. dial. 9. hæreditas manet obstricta creditoribus, quia vi divisionis hæreditatis, seu vi divisionis creditoribus necdum est satisfactum;

factum; atqui etiam bonis à fidelibus Christo oblatis per divisionem Gelasianam vel Simplicianam plenè & adæquatè needum factum est satis: ergo sicut hæreditas manet obstricta creditoribus, quia per divisionem ipsam needum est satisfactum, ita & bona Ecclesiastica manent obstricta, quia &c. Prob. min. multipliciter. I. Non esset factum satis causis piis, intentionique fidelium, si ex 20000. florenis 18000. darentur Clerico, qui suo statui competenter vivere posset 5000. unum verò 1000. erogaretur pauperibus hocce ævo in infinitum quasi multiplicatis alteram 1000. fabricæ applicaretur Ecclesiæ: neque si ex 100. florenis 99. sibi vindicaret Beneficiarius, medium florenum daret pauperibus, alterum Beneficio: ergo neque, si vi divisionis factæ abundantia & superflua cum jactura pauperum & fabricæ Ecclesiæ obtineat Beneficiarius, satisfactum erit intentioni dantium. II. Accipiatur exemplum aptius efformatum. Dividatur hæreditas 10000. aureorum debitùs 3000. aureorum onerata inter duos cohæredes & duos concreditoris, 9000. hæredes sibi approprient, 1000. obveniant creditoribus, anne plenè vel adæquatè satisfactum sic esse creditoribus dixeris? si non: ergo nec in casu nostro. Si ita, ut aliter sentias, nullo alio opus erit, quam ut constituaris unus ex creditoribus illis. Vel fiat aliter instantia hunc in modum. Sit hæreditas 20000. florenorum duobus filiis relicta ea tamen conditione & lege, ut quidquid superfuerit ultra necessariam ac honestam sustentationem statu, totum quantum distribuatur pauperibus, finge quemlibet filiorum ex 6000. florenis dicto modo competenter vivere posse, jam si fiat hæreditatis divisio in 3. partes 9400. florenos uni, totidem alteri filio, & 400. pauperibus, nemo prudenter pronuntiaverit intentioni testatoris esse satisfactum, aut per divisionem ipsam abunde pauperibus esse provisum, & sic gravamina hæreditatis esse excussa; atqui quando offertur vel legatur aliquid Ecclesiæ vel Beneficio, hoc sub onere offertur, ut superflua erogentur in causas pias, ut probatum est in priori controversia: ergo. Min. ultra declaratur, & simul prævenitur responsio & disparitas, quam AA. forte darent ad factam haec tenus paritatem, dicendo in hæreditate adesse positivam voluntatem, & quidem onerosam, obligantem

(C)

ex

ex justitia hæredes ad expungenda debita, vel superflua pauperibus impendenda: ubi ex parte fidelium stat nudum desiderium, simplex velleitas & volitio duntaxat inefficax, qua optarent, ut expenderentur in usus sacros superflua. Probatur inquam min. sic. Sit hæreditas multis prætensis gravata debitibus, quorum tamen nullum liquido constet, aut à creditoribus debitè probari possit, aut sit hæreditas à duobus cohæredibus adita 100000. aureos continens, declaraverit testator se habere desiderium simplex, inanem velleitatem, inefficacem voluntatem sive intentionem tamen onerandi ex justitia hæredes, ut 40000. aurei pendantur causis piis; in his jam duobus casibus nullus judicum, aut testamento executor sub poena mortis aut alia una ex enormibus poterit hæredes obligare ad expungenda debita incerta, vel memorata 40000. aureorum eroganda in causas pias; quin imo ejusmodi iudex injustè ageret, cum imponeret obligationem certam, gravissimamque ob debitum incertum aut absolutè nullum; ergo à statu arunt Ecclesiæ, aut qui fundarunt, dotarunt, vel restituunt Ecclesiæ, sub nuda, simplici, ac inefficaci desiderio solùm bona sua in eas transtulissent, vel contulissent Beneficiariis, sive obligatione aut tacita conditione superflua distribuendi causis piis, Ecclesia & Concilia, Patres & Pontifices sub pœnæ eternæ comminatione non potuissent Beneficiarios obligare ad sibi superflua applicanda usibus sacris, quod cum tamen toties severissime inculcent Beneficiariis, signum evidens est, Ecclesiam longe majorem efficacitatem in intentione offerentium deprehendisse, ac sponte confabulatum, & liberè excogitatum inefficax desiderium prætensem. Quapropter sicut Ecclesia sub obligatione gravide mandat erogationem superflorum in causas pias Beneficiariis totius vitæ tempore, quod nequeat punctualiter tangere, qua ad necessariam honestamque vita rationem sufficiant, ita eadem de causa prohibet eos testari ad causas profanas. Observat insuper Navarrus cit. rationem prohibendi Ecclesia fuisse hanc, ut Clerici superflua eò lubentius juxta obligationem contractam, & celerius expenderent in usus Divinos, ubi videbant non remanere sibi facultatem de illis disponendi mortis causâ. Alia quibus stabiliri potest prædicta conclusio, repetenda sunt ex controver-

sia priori. Jam videndum, quibus AA. fulcris suam muniunt sententiam, cum omne Judicium iniquum sit, nisi in eo

Audiatur & altera pars.

Fundamentum I. ita proponunt. Teste Barbosa L. 3. J. E. XI.  
 II. c. 17. consuetudo in orbe ferè universo obtinuit testandi prouincie de redditibus Ecclesiasticis & bonis patrimonialibus sive inter vivos, sive mortis causa pro libitu Clericorum. II. Et in Gallia quidem eam vigere, Van Espen testatur c. 7. n. 22. p. 2. tit. 32. ex Guilielmo Benedicti referente eam invaluisse jam ante 200. annos. III. In Hispania testis est Covarruyas de Testam. c. 7. eam extitisse ante Carolum V. qui in comitiis cum totius regni provinciis anno 1523. celebratis jusserat hanc consuetudinem, ut legitimè inductam servari. Imò IV. narrat Martinus Navarrus in sua Apologia pro suo de Redit. Eccles. libro: Plim V. de hac admonitione consuetudine & opinione pronuntiasse eam *justum & sanctum*.

R. ad I. N. ant. Nam potius contrarium, inquit N. P. Reiffestuel L. 3. tit. 26. N. 351. docet experientia, quā constat numerosiora Clericorum Testamenta esse ex bonis superfluis Beneficiis ad causas pias. Vel enim consanguineos pauperes instituant, & sic ipso facto superflua expendunt in causas pias. Aut immiscent legata ad causas profanas, vel simpliciter sic testantur, & tunc præsumunt bona relicta esse ex bonis patrimonialibus vel quasi talibus juxta R. J. 56. ff. de R. J. *semper in dubiis benignius sum preferenda*. Accedit, quodd non raro prima, ut ajunt, fronte causa appareat esse profana, cum in se re ipsa pia sit ob occultam egestatem, qua consanguinei vel alii hujusmodi haredes laborant. Et sane si totius orbis sit consuetudo, cur recte Zelosiores magisque pii satis multi eam non sequuntur? sed non emigravit Barbosa totum mundum, unde hic lapsus est sicut ipsum deceperat, cùm citatus sub N. 2. diceret: *Ita sentire defatio omnes circa parsimonialia, qui error major est, quam ut palpari nequeat.*

(C) 2

Ad

Ad II. N. ant. Nam Concilium Remense an. 1583. celebratum omnibus Beneficiariis indistinctè imponit tit. de Episcop. cap. 8. ut caveant diligentissime, ne de Ecclesiæ bonis propinquorum facultates augeant, nisi ad eorum levandam inopiam, si penuria laborent. Concilium Burdegalense eodem vix non modò loquebatur celebratum an. 1581. & 1583. prius tit. 16. & posterius tit. de Episc. n. 13. Quæ singula horum decreta renovata sunt in Concilio Burdegalensi de an. 1624. cap. 8. n. 4. ibi: Præcipue perpendant, reditus Ecclesiæ bona Christi & pauperum patrimonia esse. Quare videant, ne ex eisdem reditus consanguineos familiarèsve suos augeant & ditent, alii nisi ut pauperibus aliquid concedant; memores se sacris canonibus monitos esse, ut omnem humanum hujusmodi erga fratres nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Nunquid reditus Ecclesiæ tantum Burdegalensis Patribus sunt bona Christi & patrimonia pauperum, ante supremam horam, an dum donatio fit inter vivos, non verò mortis causâ? utuntur sanè hi Patres terminis Tridentini, & de iisdem bonis Beneficialibus sermonem eis esse, de quibus in priori controversia discurrevit Tridentinum, patet lustranti totum caput. Cæterum observatione digna sunt, quæ scribit Thos. massinus de Vet. & nova Eccl. discip. p. 3. l. 2. c. 48. n. 3. I. Prodiisse an. 1381. declarationem Caroli VI. Gallorum Regis, quæ conceditur Präfulibus Gallicanis facultas testandi autoritate Regia ex bonis suis Ecclesiasticis, quæ post obitum relinquent ad causas profanas, ita tamen, ut executores testamento- rum similium, aut saltē, ut inquit Rex, Episcoporum hæredes ad faciendum reparations adfisoriorum Episcopaliū, dum casus evenient, per Ju- dices & Officiarios nostros compellantur. II. De an. 1406. ab eodem Rege Sanctionem aliam fuisse latam, quæ cavit, ne aliorum dis- trahantur bona per Prelatos post obitum dimissa sed futuris debent successo- ribus reservari in eorum utilitatem convertenda. Cum junt fructus Eccle- siarum tam secundum dispositionem Conciliorum Generalium & Jurium, quam secundum NB. piam intentionem fundatorum, ordinati ad sus- tentationem ministrantium in Divinis, ipsiusque Divini cultus augmen- tum, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, Ecclesiarum, sacrorumque adfisoriorum reparacionem, terrarum & possessionum Ecclesiæ cuius.

culturam, Jurium ipsarum conservationem, ceterorumque onerum incumbentium suppotionem. Jam compellimus quendam Theoren incidenter: an pia fundatorum intentio fuerit simplex vel leitas respectu sustentandorum Ecclesiarum Ministrorum, divinique cultus, respectu reparationis Ecclesiarum &c. an ex justitia obliquans? si secundum; cur non etiam quoad alimentationem pauperum? cum Rex loquatur eodem in sensu de omnibus. Si primum. Cum larvis pugnet. III. Addit Carolus VI. Nisi forte in illis locis Regni, ubi de uso & consuetudine licitum sit Prelatis ipsis, & aliis viris Ecclesiasticis Secularibus de eisdem bonis facere Testamentum. Quibus etiam ab intestato in dictis bonis secundum consuetudinem & observiam supra dictas sui succedant hæredes. Quid. vero spectaret prædicta consuetudo & observantia, explicat Thomassinus loc. cit. dicens, eo, ut Clericorum Ecclesiastica successio Ecclesiarum & pauperibus affereretur, ab eaque submoverentur importuni deprædatores, aut usurpatores, Populi, Magistratus, Domini temporales &c. Excipiant, inquit sub n. 5. per nos licet, hæreditates, quando ista mores & leges ferunt Christianissimi Regni. Sed iis excipiant oneribus gravatas, quibus inexorabilis Ecclesiarum lex & traditio constantissima eas illigavit. Ex quibus finaliter infertur, si consuetudo in Gallia vigeat sic testandi, in tantum valida ac licita esse potest, in quantum hæredes bona Ecclesiastica expendere tenentur in causas pias, in quantum vero excedit aut exutit hoc onus, corruptela dicenda venit. In primo sensu excipiendi sunt DD. Galli; qui hanc consuetudinem affirmant florere in Gallia.

R. ad III. N. ant. Covarruvias enim loco cit. affirmat; non posse sic testari, cum talia bona deposito cultu & cibo frugali Clericorum sint Ecclesiarum & pauperum, & si invaleat consuetudine Pontificia dispensatione, ut Clericis cognati succedant sive Testamento sive ab intestato, eam certè ab omnibus prorsus Canonum peritis & interpretibus inuri ac damnari; quamvis postea addat: videri sibi tacito Papæ consensu approbatam. De quo mox plura dicemus.

R. ad IV. Navarrum citatum testem esse, quod in Hispania  
(C) 3. viget.

vigeat consuetudo testandi de reditibus Ecclesiasticis ad causas pias intuitu pietatis, paupertatis, remunerationis & debiti solutionis, nullam verò esse pro libitu ad causas profanas. De priori consultus Pius V. edixit: eam esse justam & sanctam. Quòd si nulla alia extet in Hispania consuetudo, Carolum V. Principem pliū & virtutib[us] ornatissimum in comitiis adductis probasse hanc sanctam & justam necesse est. Et quomodo alioquin Concilium Toletanum an. 1566. c. 18. decernere potuisse: *Bona quæcunque eorum Clericorum, qui intestati moriuntur, ad Episcopum vel consuetudine, vel alio quoque Jure perinentia, ac devoluta per eundem Episcopum in pios tantum usus ejus arbitrio expendantur.* Ea quippe ratione quā in Testamento succedunt consanguinei, succederent etiam ab intestato uti in patrimonialia, ita & in Beneficialia, cum amborum veri essent Domini.

## XII.

Dices. In multis Diocesibus etiam Germaniae consuetudo testandi ad causas profanas non tantum toleratur, sed & approbatur, sic in Constantiensis Synodi constitutionibus expressè habetur, quòd S. Synodus antiquissimæ consuetudini liberè testandi nihil derogatum velit, admoneat tamen, ut etiam Ecclesiarum, quibus adscripti sunt, pauperum, aliárumque caufarum piarum rationem habeant; sed non licet damnare praxin Diocesum in Synodo approbatam: ergo.

R. n. maj. quoad approbationem. Deinde N. suppositum, quòd Synodus Constantiensis loquatur de testamento ex bonis Beneficialibus ad causas profanas, sed ex bonis patrimonialibus, vel ad sumnum ex parisionalibus. Imò loquitur de consuetudine ad causas pias testandi, & monet, ne aliis locis piis, vel pauperibus totum erogent, sed memores existant propriarum sponsorum, earumque pauperum, viduarum &c.

XIII. Instabis. Nisi vi consuetudinis possent sic testari Beneficiarii, sic testantes velut in peccato mortali decedentes non forent sepeliendi in loco sacro. II. Ecclesia non posset perniciosem adeò & in plurium animarum perniciem vergentem consuetudinem

nem tolerare. III. Hæredes dicta bona accipientes tenerentur ad restitutionem contra praxin quotidianam: ergo consuetudo talis esse debet valida & licita.

R. n. primum aut. ratio negationis patebit ex solutione secundi. R. ad II. n. seq. Cum enim regulariter sit moraliter impossibile discernere patrimonialia & industrialia, aut fortè etiam parsimonialia & industrialia, aut fortè etiam parsimonialia à superfluis Beneficialibus, singula Beneficiariorum Testamenta hanc ob bonorum confusionem ac incertitudinem litibus esset obnoxia quasi infinitis; hinc satius visum est Ecclesiæ, Testamenta ejusmodi tolerare, atque conscientiæ Clericorum relinquere, quām litibus omnia involvere. Dum simul aliunde constat, tolerantiam valoris aut liceitatis nihil eis affundere, quod multa per patientiam tolerantur, que si deducta fuerint in Judicium, exigente Justitia non debent tolerari. c. 18. de Præb. Cæterum quod consuetudinem contingit similem ad summum non declarantur Testamenta ei innixa invalida in foro contentioso propter odio litium, sed non exigunt sic disponentes, ait Van Espen c. 7. n. 32. ab injustitia. Vel ut vult Laymann L. 4. de Just. tr. 2. c. 3. n. 7. toleratur talis consuetudo; quia facilè aboliri non potest, non verò approbari; Cum sacrī Canōnībus, & prima Beneficiariorum institutioni ipsorumque fundatorum voluntati prorsus repugnet.

R. ad III. Accipientes teneri ad restitutionem, si divites seu non pauperes sunt, & evidenter rescient; bona obtenta esse purè Ecclesiastica, non verò si rem ignorant. Possunt autem & debent hoc scire ac prudenter præsumere, ait Reiffenstuel, si noverint defunctum ante adicūm Beneficium fuisse pauperem, neque durante Beneficii possessione patrimonialia, aut quasi talia adeptum esse, nec parcè, sed lautè statui suo conformiter vixisse. Quod si de hoc dubitant, nec dubium deponere queant, validè ac licet recipiunt, retinéntque, quia prudenter præsumunt; bona restituenda esse patrimonialia vel industrialia, nec virum Deum & salutem suam præ oculis habentem præponere intendisse affectum carnalem erga confanguineos æternæ suæ beatitudini. Demum

si

si finges defunctum minus Deum timuisse, ac oporteret, tenetur, ait Reiffenstuel, hæredes profani conscientiosè indagare, num bona relicta sint merè Ecclesiastica, nec ne? quanta vel qualis sit pars Beneficialis? cāmque intraflam relinquere scientes plus damni, quām lucri reportaturos defectu Benedictionis Divinæ.

**XIV.** Fundam. II. Innocentius XII. an. 1691. teste P. Pichler in suo Jurisprud. Candidato L. 3. tit. 25. concessit Jodoco Edmundo Episcopo Hildesiensi, de omnibus redditibus Ecclesiasticis &c. quomodolibet obtentis -- testandi tam ad causas pias, quām profanas. De Sixto IV. Paulo III. & aliis patet quoad curiales: ergo si hi potuerunt sibi jus sic testandi comparare ex induito papali seu privilegio, poterunt alii vi consuetudinis, si amplius verum est illud in Jure Brocardicon: quæ acquiri possunt privilegiō, posse sunt acquiri pariter consuetudine, præfertim immemoriali. arg. L. 3. §. ductus aquæ. ss. de aqua quotid. & c. 9. de Offic. Vic. in 6.

RR. Navarrus cit. Major in 4. d. 24. q. 2. conclus. 4. Abbas in c. 10. de Testam. Sarmiento in 1. p. defens. c. 2. Laymann cit. n. 7. præter supra cit. (quod nequidem AA. inficiari poterunt) Papam dispensare non posse sine justa causa; quandoquicunque causas in alios usus profanos sine justa causa convertantur. Hinc si Innocentius XII. dispensavit cum Episcopo Hildesiensi, aut supponitur habuisse justam causam, & tunc dispensatio valida erat, ut sic validè dispensat in matrimonio rato, Prefessione Religiosa, voto simplici; vel sine prægnante ratione dispensavit, & tunc potestas à Christo Papæ cum collata sit ad dispensandum, non dissipandum, dispensatio talis nulla fuit & irrita. Sed quidjam inde adversus conclusionem? Quantum ad Sextum IV. Paulum III. &c. dictum fuit in Controv. priori. Observare ultra fors quis poterit Navarri verba, quæ habet in comment. de Spoliis Cleric. §. 11. n. 3. ubi differit: Facultatem testandi etiam ad causas profanas de spoliis seu relictis Ecclesiasticis fructibus à Julio III. Clericis in curia Romana decedentibus concessam fuisse tantum permissive, & quoad forum externum. Ad rem præsentem

tem narrat Raynaldus an. 1431. n. 9. ante actualem electionem Eugenii IV. constrinxisse se Cardinales Juramento in certam quandam capitulationem, in qua & illud erat, quod bona Domini-  
rum Cardinalium, Prelatorumque, nec non & aliorum Cortefanorum in cu-  
ria decedentium nullo modo occupabat, vel occupari patiebat, sed per-  
mitter juxta juris depositionem & consuetudinem, que in multis regnis  
& regionibus servantur, fieri execuções juxta voluntatem deceden-  
tium. NB. relinquendo conscientiis eorum distributionem bonorum ad  
eos quomodolibet pertinientium. Quid ageret Eugenius IV. cultus Di-  
vini & Christianæ Religionis dilatandæ, ut testis est S. Antonius,  
præcipius Zelator, qui contra se ut eligeretur prohibere non po-  
tuit electione pseudo - - Canonica in Concilio Basileensi Dux  
Sabaudie Amadeus dictus Felix V. ? sed quid ageret Paulus V.  
eadem vel simili à Curialibus importuna instantia facta temporis-  
bus adeò turbulentis ? scribit de Paulo III. Burius, eum jam spi-  
ritum extremum redditurum dixisse : maluisse se culinæ fratrum Ca-  
pucinorum totâ vitâ inservuisse, quam Papam fuisse. Quid senserit  
Paulus V. non legimus. Cum igitur juxta L. 21. ff. de LL. Ra-  
tiones eorum, quæ constituuntur, inquire non oporteat, alioquin multa  
ex his, que certa sunt, subvertuntur ; hinc concludendum est : in  
dictis Bullis Pontifices plus non contulisse juris Curialibus, quām  
in ejusmodi Testamentis conficiendis & exequendis impedi-  
rentur pro foro externo, relinquendo pro foro poli conscientiis  
eorum distributionem bonorum meritorum. In forma itaque  
R. concessio ant. in sensu mox allato N. C. Dicta regula univer-  
saliter prolata est plane falsa; ut enim notavit Fagnanus cum aliis  
in c. 8. & seq de foro compet. Princeps Laicus ex privilegio  
potest cognoscere causas criminales Clericorum arg. c. 2. de Judic.  
idque probat praxis Venetiis & alibi, nec tamen per consuetu-  
dinem potest jus tale sibi querere. II. Sacerdos simplex potest  
ex Privilegio conferre ordines Minores, Sacramentum confirmatio-  
nis, ut patet in nostro Guardiano Hierosolymitano, & tamen  
id non potest ex consuetudine. III. Potest ex Privilegio Papali  
obtineri exemptio ab obligatione servandi interdictum, non ta-  
men vi consuetudinis, c. 5. de consuet. Quare sub distinctione  
intelligenda venit, & quidem hac: quæ sunt ex Privilegio acqui-  
(D) fibi-

sibilia, possunt quoque comparari per consuetudinem rationabilem & legalem. C. irrationabilem & illegalem N. Vel sic. Quæ possunt per privilegium ordinarium vel viâ ordinariâ adeptum procurari, etiam possunt per consuetudinem. Trans. viâ extraordinariâ & non nisi urgentissima ratione abundante in bonum totius Ecclesiæ vel favorem causæ piaæ primariæ, qualis est bonum Sedis Apostolicæ Universali Ecclesiæ invigilantis ac deservientis N.

**XV.** Dices : ex c. 1. 2. 7. & 9. de Testam. Jure tantum Ecclesiastico de bonis prohibentur testari superfluis; sed jus tantum Ecclesiasticum viâ ordinaria tollitur per consuetudinem contrariam: ergo. Maj. pr. Clerici Romanenses nunc plenum & perfectum habent Dominum in illa post constitutiones Julii III. Pauli V. &c. Vel igitur hoc habuerunt ante dictas Bullas? & tunc idem Pontifices sustulerunt duntaxat impedimentum illud Juris Ecclesiastici, quod vetabant illi, & hodieum interdicunt cæteri disponere ad causas profanas. Aut non habuere? & sic si Sixtus IV. Julius III. Paulus V. potuerant transferre, cur non etiam Dionyssius, Simplicius, Gelasius, quorum restrictior non erat, quam Pontificum successorum potestas? Hoc argumentum gravidæ instar nubis detonare videtur Theoresti; unde ante victoriæ, imò ante pugnam curules agit in capitolium. Reapse tamen non vulnerat Achillem nisi in calce. Vnde ut curam illius animo ejus excutiamus.

R. d. maj. quoad causas pias. C. profanas N. maj. Nam generaliter Jure Naturæ & Divino vetantur in causas profanas bona etiam Beneficialia erogare, quidni etiam per Testamentum? cum, ubi prohibetur genus, simul vetetur species per c. 80. de R. J. in 6. ibi : In toto pareri non est dubium. D. etiam min. per consuetudinem rationabilem C. irrationabilem. N. Et ita distinguit ipsum Jus c. fin. de Consuet. Ad prob. maj. dicimus Romanenses Curiales nequidem pro foro externo antea habuisse Dominum præmemoratorum bonorum, nec Sextum IV. nec Pau-

lum V. nec Dionysium, nec Gelasium, nec quemcumque alium  
 S. Pontificem teste Laymanno & aliis citatis dare posse potesta-  
 tem NB. cuilibet Beneficiario testandi ad causas profanas, sed his  
 vel illis ad summum ex prægnantissima ratione, sicut Papa potest  
 quidem dispensare in voto solemni, matrimonio rato, juramento,  
 pluralitate Beneficiorum, residentia personali &c. non tamen uni-  
 versim cum omnibus, aut quamdiu ipsi placet esse sic obligatos  
 ad votum &c. Sed quid? si Polydorus Theoresten oraret, ut cùm  
 alias Sphingem velit agere, etiam quoad Paulum IV. an. 1557.  
 sedentem in Cathedra Petri, & Paulum III. Pium IV. & V. Euge-  
 nium IV. & Martinum V. &c. qui duo ultimi testante hoc S. An-  
 tonino p. 3. Sum. tit. § 3. alii testibus Clericato, Henriquez,  
 Pichler de Clemente XI. in suo Candidato abbreviato L. 4. tit.  
 19. n. 4. dispensarunt in matrimonio rato licet ac validè con-  
 tracto. Ubi tamen Innocentius VIII. & Adrianus VI. ad sic dis-  
 pensandum induci non poterant, quin & Paulus IV. an. 1557.  
 dispensatione à se petita Consistorii sui Cardinales hisce allo-  
 queretur verbis: Charissimi Filii, ne Prædecessorum nostrorum factis &  
 exemplis detineantur animi vestri; profiteor ea me nolle sequi, nisi in  
 quantum ad id nos adducent Scriptura & Theologorum ratio; non dubi-  
 to, quin ego, meique Prædecessores non solum in hoc facto, sed & in aliis  
 multis erraverimus. Ita testantur Cenfuræ & Conclusiones Facult.  
 Theol. Parisiens. apud Joan. Bapt. de Lepine an. 1717. publica-  
 luce donata pag. 151. Supponimus verò dispensationem peti-  
 tam fuisse à Paulo IV. quā Pontifice, non quā Doctore privato,  
 siveque etiam in Consistorio respondisse negativè non ut Docto-  
 rem privatum, sed Papam. Novimus equidem, neverit & Poly-  
 dorus, Adrianum VI. Innocentium VIII. Paulum IV. concordari  
 optimè posse cum prioribus Pontificibus allegatis, si dicamus: eos  
 locutos fuisse pro & in illis circumstantiis sibi propositis, in qui-  
 bus aberat iusta causa dispensandi, eosque ob rationes nobis igno-  
 ras dubitasse de sufficientia circumstantiarum, aut de insufficien-  
 tia earum quoad aliquos Prædecessores probabiliter fuisse con-  
 victos, non autem pro eis, quæ justam exhibebant dispensandi  
 rationem. Veruntamen si ita ænigma solverit Theorestes, priori  
 nostræ responsoni subscriber. Cæterum additoties à se recoclam-

cramben seu instantiam de Ecclesiæ ministris Laicis v. gr. fabris, aliisque operariis. Sed satis ea soluta est in controversia priori. Et quis amabo leget 1000 Florenos vel Aureos pro turri Ecclesiæ ædificanda aut renovanda, ea intentione, ut operarii justam mercedem recipientes id, quod sibi ad vitæ sustentationem necessarium non est, expendant causis piis, cum nec offerentes haec sub conditione dixitias sibi comparaverint? At docuerat vel Carolus VI. Rex Galliarum nuper citatus qua intentione bona sua Ecclesiis contulerint fideles, docuerat Innocentius III. pronuntiârunt PP. Agathenses cum aliis. Neque etiam hic versamur in materia, quæ ad ostentationem ingenii secundum adinventionem distinctionum Scholasticarum à luxuriante intellectu excogitatarum pro & contra ad libitum ventilari potest, est ea, quæ æternam animarum nimium multarum salutem aut perniciem sibi associatam habet, & de qua Thomassinus inter alia scribit: *Vehementer extimescendum est, ne ab heredibus cognatis Beneficiariis profanentur hostiae sanctæ.* Succedebant olim Episcopi Beneficiarii intestatis, sed ingeniabant ex animo avaritie Clericorum eorum, qui multos in annos recondidissent, que singulis annis in pauperes effundenda fuerant; quo circa & mox ipsi officio fungebantur, & vice eorum distributis in egenos omnibus, quibus fuissent damnabili ea parcimonia tunc defraudati.

XVI. Instab. In Moravia praxis & consuetudo est, vi cuius Clerici testari possunt ad quasconque causas pias & profanas, modò tertiam partem Ecclesiæ relinquunt: ergo signum est, quod tantum prohibeantur testari ad causas profanas ex præcepto Ecclesiastico per consuetudinem Moravicam sublato. 2. Si non possent sic testari, inde foret, quod non essent Domini, sed eorum Administratores solum ac Dispensatores; sed hoc non, alias oporteret ea rursus dividere in 4. partes, quarum una sit Episcopi, altera Beneficiati, alia fabricæ, & quarta pauperum, quemadmodum debebant bonorum Ecclesiasticorum Administratores: ergo.

R. ad I. N. maj. Nam consuetudo Moraviæ permitens salvaportione Ecclesiæ liberam testandi facultatem beneficiariis intellegens,

ligenda est conformiter SS. Canonibus adaptara, qui volunt, ut superflua Ecclesiastica plis usibus applicentur; secus consuetudo ut causis sacris injuriosa, in corruptelam abiret, ut observavit Joannes à S. Antonio Piar. Scholar. tit. de Testam. in Moravia degens. Et quidni! Quotidie, ait Augustinus Can. 10 c. 12. q. 1. tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi inopes nos interpellant, ut plures tristes relinquamus; quia, quid possimus dare omnibus, non habemus. Non est Episcopi servare aurum, & à se revocare manum mendicantis. An nunc post divisionem bonorum sit? An non & hodie gemant admodum multi?

R. ad II. fore iteratō dividenda si cæteris non satis esset provisum puta Episcopo vel Ecclesiæ fabricæ & Ministris; nec enim nostra Sententia prætendit totam substantiam superfluam semper erogandam esse pauperibus, sed id unicè vult, ut non expendatur ad usus profanos.

Urgebis: Admissa & probata hac consuetudine abstrahuntur è nimio luxu, viri insignes & nobiles alliciuntur magis ad statum Ecclesiasticum, invitantur quoque Laici ad majorem liberalitatem, quam si rescant, nil vicissim à Clericis ad ipsos aliquando peruenturum: ergo. R. I. Argumentum hoc affine esse effato illius Medici, qui dixerat: Tertianam febrim esse bonam, quia reddit hominem sobrium. R. II N. Ant. Si quippe non abstrahuntur à præcepto Naturali & Divino ac Ecclesiastico sub æterna damnatione verante ejusmodi luxum, neque absterrebis eos dicta desuetudo. Veld. Ant. Abstrahuntur ea consuetudine tanquam medio illicito & prohibito C. licito & permisso. N. ant. & conseq. Adde illum, qui divitiis ducitor ad amplexandum statum Ecclesiasticum, abjecti esse animi, velut, qui Religionem ingreditur, ut de sustentatione certus sit, nec enim talis Deo aut Ecclesiæ, sed ventri suo deseruire intendit. Falsum insuper est, & experientia oculari contrarium Laicos plus invitari ad liberalitatem indica hypothesis; quin manum potius revocant, dum tristi supercilium intuentur bona à se Deo & pauperibus consecrata in luxum applicari in vivis, & post fata consanguineis patrimonio abundanter.

(D) 3

## XVII.

tibus. Et certè pauperculus rusticus priùs dabit Parocho pauperi, quām diviti, decimantem ultimum priùs decipiet, ac primum, citius & priùs dabit Capucino, vel Franciscano, quām non mendicanti Religioso.

**XVIII.** Fundam. III. Clerici sunt pleni Domini distributionum quotidianarum: & possunt de his testari ad libitum; ergo idem sentiendum de aliis Beneficialibus. Patet conseq. Quidquid enim de rebus Ecclesiae, de Christi patrimonio, pretio peccatorum &c. vel sacra fane iunt Concilia, vel statuunt Pontifices, aut pronuntiant SS. PP. id omne etiam sanctum, statutum & pronuntiatum esse deber de distributionibus, cùm sint portiones quædam reddituum Ecclesiasticorum, sive res Dei, pretia peccatorum, patrimonia pauperum &c. Proinde quidquid fulminis vel Hieronymus, Augustinus, Bernardus &c. in eos vibrat, qui Ecclesiasticis abutuntur redditibus, id omne nihilò mitius ferjet distributionibus abutentes, vel si hos non, nec illos. Prob. itaque ant. ex declaratione Cardinalium Tridentini interpretum in Sess. 24. de Reformat. c. 12. ibi: *Per omissionem professionis fidei amittuntur tantum fructus prebendarum, non autem distributiones quotidianae, quas inserviendo quis acquisivit ratione ministerii & opera, & de quibus distributionibus potest testari, & ad libitum disponere.* Hoc argumento non arma ad confitum, sed laureas ad triumphum comparare videtur non nemo, dum cum stomacho dicit: *Ecclesiam universalem servire, quod ipse.* Quid agas cum hoc hominum genere? sed videamus quo eventu res acta sit, Antequam tamen objectioni debitum adhibeamus cuneum.

Observ. I. Duplicem quoad distributiones esse DD. sententiam: unam Emin. Card. Tuschi tom. 2. Lit. D. conclus. 512. Card. de Lugo, de J. & J. disp. 4. sect. 3. n. 25. Pirrhing tit. de pecul. Cleric. n. 2. Engl tit. eodem n. 4. & aliorum, quæ distributionum plenum jus & Dominium confert Beneficiariis & Facultatem disponendi ad causas profanas. Rationes, quibus hæc sententia innititur, à potiori allatae & soluta sunt in Controv. priori. Altera sententia docet: Clericos earum non effici Dominos;

minos; ita Navarrus, Sanchez, Sarmiento, Reiffenstuel, Van Espen, Epo, Molanus, Luper, Pontas, & alii multi. Itaque Autor dicti argumenti jam primò causā cadit, dum contendit: Ecclesiam universalem sentire, quod ipse, nisi hos DD. velit extra Ecclesiam universalem locatos. Observa II. quoad autoritatem SS. Congregationis. Cum finitò ad an. 1563. Tridentinò Pius IV. an. 1564. ad evitandas absurdas Tridentini Glossas & interpretationes prævisas, si cuilibet illud interpretari liceret, instituisset Congregationem Cardinalium super executione & observantia Tridentini, Pio IV. mortuo Sixtus V. per Bullam: *Immensa*. 1587. Facultatem ejusdem cœcumenici Concilii in locis dubiis de morum reformatione, disciplina, & Ecclesiasticis Judiciis interpretandi certis Cardinalibus consulto tamen prius Papa. Porro ait Nost. Cherubinus Mayr in Insti. proemial. punc. 42. N. 264. *Theologi communius tenent: hujus S. Congregationis decreta & declarationes non habere Juris Ecclesiastici vim & autoritatem.* Subscribit P. Pichler tit. de sepultur. L. 3. in responsione ad 1. & 2. ibi: *Declarationes Cardinalium non habent vim Juris, nec universaliter ringunt, nisi sint date consulo Papa, hujusque nomine in litteris expresso.* Addens in Proleg. Jur. Can. N. 46. ex Pellizario tr. 4. c. 4. n. 108. & Salas, quod Cardinales rayo consulant S. Pontificem. Fagnanus in c. quoniam N. 30. contrarium prætendens nihilominus fatetur tamen sub n. 57. *Se non reperisse, quid SS. Congregatio hæc ex proposto recesserit à decisis, nisi in duobus casibus, quos ibi refert.* Quod signum est: Congregationem in suis sententiis non esse infallibilem. Insuper si juxtra Theologos communiter declarationes hujusmodi non habeant vim Juris, raroque Papa consulatur quoad eas, enitet error objectionis: memoratam declaracionem pro Divino quasi oraculo, & universalis Ecclesiæ dogmate dividentis, & quod mirum est sine Sigillo solito & subscriptio-ne Em. Card. Praefecti & Secretarii ejusdem S. Congreg. eam proponentis; ubi tamen Urbanus VIII. 2. Aug. an. 1631. Declarationibus tam impressis, quam imprimendis nullam fidem esse in judicio, vel extra à quoquam adhibendum præcepit; sed tantum illis, qua in auth. forma, solito Sigillo, & subscriptione Emunt. Praefecti & Secretarii Congregationis, fuerint munitæ, ut refert Cherubinus Mayr in proleg. fol.

fol. 63. Observ. II. DD. multos distinguere declarationes in comprehensivas, quarum sensus à propria Verborum Tridentini, circa quæ sit declaratio, significacione non recedit. Has dicunt, si præscriptas ab Urbano VIII. conditiones habeant, vim legis habere: & in extensivas, in quibus receditur à propria Verborum significacione Concilii vel legis extendendo sensum ultra eum, quem verba important propriè accepta, aut in eis dispensando; & hæc non sunt authenticae sed doctrinales, quia non ad extensionem, ait Pichler in proleg. n. 46, sed interpretationem constituti sunt Cardinales, nisi specialiter ex mandato Papæ consulti forent editæ, ut statuit Sixtus V. & Gregorius XIV. & docent de Luca, Lantusca in Theatro Regul. v. Congregatio. Leurenus, de Nicollis in praxi Can. ad tit. de jud. n. 25. Jam ad objectionem, in qua unica difficultas sita est in adducta declaratio-ne SS. Congregationis.

R. I. Declarationem (si authentica sit) esse merè Doctrinalem & extensivam, proinde non habere vim legis. Ratio est; siquidem Trid. Sel. 24. c. 12. ne unica quidem littera docet: Clericos fieri Dominos distributionum quotidianarum, sed affert solum: *Distributiones vero, qui statim horis interfuerint, recipiant, quod fieri posse sine acquisitione Domini non videt, SS. Congregatio extendit ad Dominium, nec refert hac super re consuluisse Pontificem, raroque, ut testes sunt Salas & Pichler, eum consultit: ergo quoad hoc non plus deferendum est, ac mera probabilitas.*

R. II. in forma, N. ant. Ad ejus probam transeat ant. quod tam diu manet dubium, quamdiu non profertur authentice, sed N. conseq. & suppositum, quod id, quod sentit SS. Congregatio, sentiat semper Universalis Ecclesia. Exemplum accipe manifestum. Docet SS. Congregatio ad c. 16. Sess. 25. De Regulari. Vox antea respicit tempus, quod secutum est ipsum ingressum: ideoque valida est donatio facta ante susceptionem habita, non autem illa, que a tempore susceptionis praecessit duos menses, qui sunt ante professionem. Quod si renuntiatio facta fuerit vel ante ingressum Religionis, quamvis renun-

nuntians foret acceptatus, Concilium non haber locum, loquitur enim de su-  
menibus habitum, vel intrantibus religionem. Sed si renuntiatio facta fuerit  
inuitu Religionis ingrediende: tunc tanquam facta in fraudem hujus Canonis  
videtur subesse huic dispositioni ex Sententia Congregationis. Nihilominus  
tenant Card. de Luca de Regular, Discursu 58. & 59. n. 7. (ubi  
suam Sententiam, declarationi SS. Congregationi contrariam,  
asserit Rotae decisionibus saepius firmatam, & communi DD.  
Calculo receptam) P. Scharz l. 3. decret. de Regular. n. 31.  
Pasqualigo in obseruat. ad Controv. inter Episcopum & Regu-  
lares. Laureti de Franchis. p. 1. n. 26. & in qq. cc. q. 273. n. 3.  
Centur. 3. Barbola in Collect. ad cap. 16. de Regul. Conc. Trid.  
Sess. 25. Fagnano in e. statuimus. Tit. de Regular. n. 42. Me-  
nochius de Arbitr. Jud. centur. 5. casu 436. n. 4. Hyacinthus  
Donatus tom. 2. tr. 7. q. 20. contrarium, quorum Sententiam  
probabilem censer Pirhing tit. de Regular. n. 81. & Laymann.  
L. 3. tr. 5. c. 7. n. 7. & alii. Si igitur hi autores purpuratis Ec-  
clesiae Patribus, vel ut lingua objicientis loquamus Universali  
Ecclesiae judicio non contraveniant, an nobis hoc recte impo-  
fuerit? Adderent alii: declarationem loqui de testando ad li-  
bitum in causas pias qualiter disponere aequè parum licebat sine  
Facultate S. Sedis de distributionibus memoratis, ac aliis Bene-  
ficialibus. Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo, vo-  
vent, si plus eliciant ex Verbis SS. Congregationis.

Dices: fert fama apud Parochum Græensem affervari pri-  
vilegium Imp. Maximiliani, Ferdinandi II. & III. Ducatu Sty-  
rie datum, vi cuius superflua Beneficia defuncti in 3. partes di-  
vidi possint, quarum prima cedat successori, altera fabricæ Ec-  
clesiae, tercia consanguineis defuncti Beneficiati: ergo si hoc fie-  
ri queat in fructibus Beneficii, à fortiori fieri poterit in distribu-  
tionibus quotidianis. II. Cap. 2. de fidejuss. præcipitur, ut Be-  
neficiarii satisfaciant creditoribus ex redditibus Beneficii, quidni  
etiam ex distributionibus? quod tamen fieri certè non posset,  
cum ex re aliena nequeat fieri debiti proprii solutio.

## XIX.

R. Præterquam quod dispositio Principis Laici in materia  
(E) Eccle-

Ecclesiastica sit nulla c. 10, de constit, fatetur P. Karchne Tr. de J. & J. art. 8. §. 6. vi hujus Privilegii nobis equidem ignoti Beneficiatos non posse disponere ad causas profanas. Imo ejusmodi sanctio presumit partem consanguineis obvenientem fore a parsimoniale, aut industriaile, vel patrimoniale. Ad II. n. min. cum enim ex propriis nihil habeat, nec satisfacere possit, pauper est, & sic bona superflua tanquam pauper sibi vindicare potest, atque ex illis Creditoribus satisfacere.

Instabis: Canonici sunt veri Domini quasi patrimonialium sine onere superflua erogandi in pauperes, & quidem idcirco quia bona hæc per modum retributionis honorarii vel stipendii accipiunt; atqui etiam distributiones imo & alia Beneficialia sic accipiunt: ergo. Min. constat; nam c. fin. de Rescript. in 6. Beneficium datur propter Officium: ergo.

R. per hoc probari non posse Ecclesiam obligare Clericos ad superflua Beneficialia eroganda in pauperes, ut nequit quod ad quasi patrimonialia. P. II. d. min. quo ad necessaria trans. quo ad Clericis nulla fit injuria alteri, ne quidem pauperibus, qui ad bona necessaria Clericorum nullum habent jus ex intentione fundatorum; cum hæc eò duntaxat tendat, ut bona oblata impendantur causa pizæ, qualis est ex c. 16. de Præbend. sustentatio necessaria Ecclesiæ ministrorum. Attamen fit injuria per collatum contra intentionem dantium Dominum superfluorum. Ex his jam omnibus

## XX.

Sequitur I. à veritate planè esse alienum, quod assertit non nemo; ideo ab Ecclesia prohiberi præcisè testari in profana vel expendere Beneficialia in usus non sacros, ut gratificaret fundatoribus, quibus pergratum est & erat, si bona oblata non nisi in Dei cultum intuerentur applicari. Nam quis non advertat distributiones quotidianas esse eadem bona, & tamen non intendit gratificare offerentibus juxta AA. Nunquid eisdem non quoque volupè esset, si Procuratores, Syndici, Advocati Ecclesiæ, Auditui, Musici &c. bona superflua ex mala ac infideli dispensatione

tione Ecclesiae Rectoris nonnunquam acquisita erogarent in causas pias? Tamen Ecclesia hac de re illos neque monere voluit, cogitando forsitan: *Legem habent, Prophetas habent, si hos non audiunt &c.* Falsum præterea est: Ecclesiam vetare sic testari, ut Clericos ea ratione ab indecoro ditescendi & superflua corradendi studio abstraheret. Nam cur non agit idem quoad bona patrimonialia, aut quasi talia? cur faverent tam sordido contra mandatum Christi direscendi studio Sixtus IV. Julius III. Paulus V. & alii per Dispensationes vel Privilegia ab AA. producta Curialibus Romanensibus; cum probè perspectum haberent: non esse facienda mala, ut eveniant bona. Itaque ratio genuina primæ & ultimata Ecclesia hactenus fuit, & imposterum erit; quia superflua Beneficia res Dei sunt & Ecclesiastice, ut docuerant nos PP. instruxerat Tridentinum, & movere debent exempla sanctorum, quæ inter effulget Testamentum S. Caroli Borromæi, de quo Giostanus I., 8. c. 28. hæc: *Pauperes majoris Xenodochii Mediolanensis sibi ex aße heredes scripsit. & c. II. nullo benevolentie documento proximis gratificatus, nisi ex feudalibus & allodialibus bonis, quæ antiquissimò fidei commissio Majorum necessariò ad Comites Borromeos patruos & cognatos suos redditura erant.* Kursus verum non est, quod dicit quidam fol. 131. §. 3. n. 20. in suis dialogis: partem pauperum, quam nunc distinctam à portione Beneficiarii raro inventies, Ecclesiae Fabricis & Ministris Laicis accessisse: imo, ait sub n. 22. nesciri quod devenerit, et si mox ante dixisset: Laicos Ecclesiae Ministros in Justitiæ Jura peccatueros, si superflua in pauperes non expendant. Quin addit verosimile esse ex quarta parte erecta esse hospitalia pauperum, ægrorum, peregrinorum, fundata Clericorum Seminaria, Gymnalia, erecta nova Beneficia tam in nostro, quam in Americano orbe ad sustentandos viros Apostolicos magnam partem portionis pauperum expensam esse in bella sacra contra Turcas & Hæreticos &c. Dii maris & Cœli! Ergone magna pars portionis pauperum locum non amplius inventit in diversorio Europæo vel Asiatico & Africano, sed ablegari debuit ad Antipodas, ad ultimam usque Thulen, dicerent alii ad albos ursos in novam Zemblam! Res mira! Insula Canariæ detectæ erant à Columbus, America à Ferdinandio Cortesio tempore

(E) 2

Ca-

Caroli V. inventa, & tamen, nunquid non statim post divisionem Gelasii? magna pars portionis pauperum navigavit prioribus facultatibus novem vel decem in oras Americas, ut in adventu Columbus & Cortesius audirent: venite ad nupias quia parata sunt omnia. Sed quid? quod P. Godefridus Laimbeckoven in suo Iterario Chinensi Viennae 1740, edito conqueratur adeo, & deploret pauperem Missionariorum in illa mundi parte statum? Deinde si multa de portione pauperum in bella sacra erogata sunt, quid sibi volunt tot Bullæ Cruciatæ ante Lutherum publicatæ cur Augustissima Domus Austriaca tot jam Sæculis vix non sola in bellis Turcicis sustinere debet pondus diei & æstus? sed gratis immoraremur hujusmodi garris, quando palam est etiam hospitallia peregrinorum, Universitates & Academias fundata esse à Principibus terræ, nobilibus, civibus & plebeis ditoribus dotata vel restaurata mediis desumptis non ex portione pauperum, sed peculio proprio illorum, adjectis praedilis, vineis, subditis &c. Attamen, ait, quod igitur migravit portio illa quarta pauperum, quam, ubi lateat, etiam ignorat Palao? R. cum S. Thomas ad manus Beneficiariorum superflua possidentium devenisse; ita quippe habet S. D. 2. 2. q. 185, art. 7. si vero non sini predicta bona distingua, eorum distribuatio fidei ejus committitur (puta Beneficiarii) ergo in quibusdam locis jam tempore S. Thomæ portio pauperum erat distincta, in nonnullis non itidem, à portione Beneficiariorum, sed penes illos remanserat, quomodo secus potuisset fideli illorum committi? Amplius pergit S. Th. dum in response ad 4. ait: Ad quartum dicendum, quod bona Ecclesiæ usibus pauperum defervire debent. Et ideo si quis necessitate non imminente prvidendi pauperibus, de his, quæ superfluunt ex proventibus Ecclesiasticis possessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum Ecclesiæ utilitati, & necessitatibus pauperum, laudabiliter facit. Si vero necessitas imminet pauperibus erogandi, superflua cura est & inordinata, ut aliquis in futurum conservet. Quod Dominus prohibet Matth. 6. dicens: nolite solliciti esse in crastinum. Si juxta S. Thomam Dominus vetet, ne non erogentur bona superflua Ecclesiæ fabricæ destinata tempore necessitatis pauperibus, quidni etiam Clericis idem prohibeat? si non obstat Dominum in principiis AA, superflorum, quod vñ

divisionis Gelasianæ adipiscitur fabrica Ecclesiæ, quin ea juxta mandatum Domini ex Sententia S. Thomæ expendere teneatur pauperibus, quis exemerit Clericos? Quapropter portionem pauperum detinent Beneficiarii & fabrica Ecclesiæ, in quantum possident superfua. Ita in re docent S. Thomas, SS. PP. alii & Concilia in priori Controversia abunde allegati. Præfertim Gregorius M. L. 9. Epist. 29.

## XXI.

Sequitur II. Quamvis non impliceret, ut quis fiat Dominus rei Domini oneratō, simul atque obligationem contrahat rem extradendi alteri, ut liquidum est in Fidei commissario, legatario, donatario &c. quibus legatur, donatur &c. res sub conditone v. gr. Tiri⁹ donat Cajo 100. aureos peregrinanti ad limina Apostolorum ea tamen lege, ut, quod superuerit, pauperibus eroger. Veruntamen Sententia docens Beneficiarios evadere Dominos superfluorum Domini oneratō sufficieret probare deberet: fideles offerentes transtulisse Dominium eorum dicto modo. Ante divisionem non sic transtulisse fatetur hæc Sententia, divisionem non immutasse naturam & conditionem bonorum istorum ostensum fuit nuper. Titulus etiam commixtionis per accidens se habet, neque de sic commixtis originatī movetur controversia. Si dicas: finge casum, quod Parochus anno uno è redditibus sui Beneficii 2000. florenorum consequatur, adde Parochum certum esse sibi pro honesta sustentatione sufficere 1500. dividat igitur 2000. in 4. partes, quo factō, nisi eorum omnium habeat Dominium, nequit determinari, quinam 500. sint, qui non sint sub illius Domino. Abbas Panormitanus, Sarmiento, Van Espen in sua opinione riderent quidem, ad casum respondendo: nullam partem sub Parochi esse Dominio. Sed omissa illorum Sententiā queritur ex AA. sive ex justitia, sive ex præcepto tantum Ecclesiastico Parochum ad 500. pīs causis erogandum obligantibus, quinam in individuo illi sint, quos sic oneratos in suum Dominium recepit? Directè Respondendo ad casum dico, si ultimi 500. floreni sint separatim & post 1500. adepti, eorum Paroch non fuisse jus quæsumum. Si verò simul & semel, & quod consuetarium est, commixtim 2000. obtinuerit, vi commixtionis per-

(E) 3

ac-

accidens, vel ut alii loquuntur, Dcminium naturale & inadæquatum inadæquatione Juris (veluti etiam prædo rem furtivam indiscernibiliter commixtam cum propria facit suam quoad Dominum mox explicatum) acquirit, non verò adæquatum adæquatione Juris seu Dominium proprietatis. Quòd si denuo reponas: suppone, quòd Parochus separaverit 500. florenos à preventibus sibi necessariis, post hoc advertat: 500. florenos superfluos maioris esse bonitatis; in hoc casu non poterit sibi meliores applicare, secus exercebit Dominium, quod æquè parum potest ac depositarius. Sed nec rectè dixeris: eum non posse; cùm enim Parocho antea erat liberum meliores separare, sibique reservare, cur non & sejunctos separare? R. Si per majorem bonitatem veniat valor extrinsecus major, ita ut 500. floreni seu divisim. seu collectim. in pretio excedant florenos 500. ordinarios alios 1500., quidquid ultra 1500. residuum aut superstes fuerit, causarum erit sacrarum. Quòd si per majorem bonitatem intelligatur valor ad superflua. N. min. & conseq. Per Dominum necessariorum intelligitur valor intrinsecus vel ob intrinsecam bonitatem monetæ, recentiorem figuram, &c. adeò, ut foret majus duntaxat pretium affectionis ex parte Parochi, quam non curant, nec curare possunt prudenter pauperes, aut Parochus ex illis lucrari posset, qualiter tamen lucrum sperandum non maneret exspectandum egenis, tunc potest sibi tutâ planè conscientiâ eos sibi appropriare, ed quòd & depositarius uti queat re deposita, dum bona fide autumat, Domino id non displicere.

**XXII.** Sequitur III. Nihil obstare, minus convincere illam AA. rationem, quâ contendunt: sine fundamento à nostris dici, quod bona hujusmodi donata sint à fidelibus, aut ab Ecclesia acceptata sub onere restitutionis, minus enim rectè, minusque fundatè id adstrui sat is constat ex Controv. Prioris probis præsertim VII. & VIII. Sed & falsitatis arguent nostri eorundem rationem secundam sub. n. 158. allatam ibi: *Fideles absolute talia bona conferunt Ecclesia in sustentationem ministrorum, in splendorem eorum status, ut Deo vident expeditius, aut magis in honore habeantur ab aliis. Præterquam quòd hac bona desumpta sunt de decimis, primitiis, oblationibus, que*

que non gratiæ, sed ut debita ex justitia à fidelibus Deo offeruntur in sustenationem ministrorum ejus. Nam primò ubi hoc scriptum est sic ita absolute offerri sine memorato onere? cum tamen contrarium scriptum lustremus in c. Requisisti. 15. de Testam. L. 42. c. de Ep. & Cleric. aliisque juribus nuper allegatis. Sit, quod ea intentione conferant vel contulerint, ut elucesceret splendor statutus. Sed nunquid illuxit hactenus ex fastu, luxu, &c.? An plus venerationis ab aliis sibi conciliaverit, ut unum pro mille demum exemplum, S. Norbertus, an Udo, de quo dupondiis notum est: *O Udo Udo, cessa à Ludo, uterque Archiepiscopus Magdeburgensis?* Quod præstationem decimarum concernit, monuit D. Angelicus 2. 2. q. 87. art. 3. ad 1. Decima datur Clericis non solum propter sui sustentationem, sed etiam ut ex eis subveniant pauperibus &c. ut supra in priori controversia. Et sane decima sive materialiter & secundum substantiam spectatæ, sive formaliter & secundum certam ac determinatam quotam, decimam nimisrum partem, nullo Jure eis aliter tenentur, neque alio justo titulo exigi possunt à Clericis, nisi in quantum haec necessaria sunt pro eorum honesta ac statui competente alimentatione, hac semel obtenta ex decimis nihil amplius eis debetur, per consequens nec id, quod superfluit seu superest ultra necessaria. Agnoverat rei huius veritatem S. P. Chrysostomus, cùm homil. 67. in Matth. de sua Ecclesia commemorat: *Hæc Ecclesia unius divitii non valde locupletis fructus colligit.* At cogita tecum, quot viduis, quot Virginibus, quot pauperibus quotidie succurris? jam enim numerus eorum in catalogo adscriptus ad tria millia ascendit. Et tamen Ecclesiæ opes NB. non sunt immunitæ. Sed qua id ratione, si scruteris, sine prodigio manifesto? Ita sane prodigio opus fuerat: nostisne autem quali? Dicam, quod res est, inquit Segneri Conc. 8. alibi citatus: *Vinea Chrysostomi fructus serebat, non pampinos.* Sunt hac etate plures vineæ, que sùa pampinorum luxuriâ gloriabantur: & nivemur, si uvas non ferant? Sed quid mirum, si Deus eripiat his vineam, conferatque alteri facienti fructus ejus? Magis tunc Dominum prudentem se probat, quām iratum. At cùm eam auferat, ut det alteri penitus eam devasturo, tum enimverò, inquit pralaudatus autor, maximè formidandus est. *Quām pulchras jam inde à principio Ecclesia possidebat vineas,*

vineas, quas omnes Ottomanica devoravi ingluvies ! Quot millenas alias in Dania, Suecia, Saxonia, Hibernia, Scotia, Anglia, & tot aliis Septentrionis Provinciis non à Romana heresis avulsi Ecclesia. Credimusne, si fide semper optima Ecclesia Ministri creditas sibi vineas administrassent, sicut primi administrarant, illas unquam Latronibus tam diris in predam fuisse cessuras ? Ita Segneri coram Innocentio XII. Non arridebit singulis Vinea & Dominicæ cultoribus hæc Segneriana Doctrina, quemadmodum nec nostra haec tenus propugnata Sententia. At nec arredit eadem opinio tempore Bernardi, Raymundi, Gratiani, Antonini, aliorumque SS. PP. cuperent alii rei præsentis punctum æternô sepultum Silentio. An bene ? tu videris : Quid ad nos ? quibus discutienda jam alia occurrit



QUÆ-

## QUÆSTIO II.

An Clerici de Jure scripto, an consuetudinario testari queant ex bonis Ecclesiasticis ad causas pias?

**O**bservandum. Quæstionem etiam hanc procedere de bonis Beneficialibus, ut vocant, superfluis; & quamvis tantis non sit obnoxia difficultatibus, ac præcedens, ob materiae tamen connexionem paucis lubet eam ventilare. Equidem si jus scriptum consideremus, omnia una eadémque esse debet Sententia negativa ob textus nimilum claros mox recitandos. Sed nec tanta lis excitari potest circa Testamentum tale vi consuetudinis simpliciter conditum, ut constabit ex probatio-ne partis II. Itaque quod in controversiam duci à DD. videtur illud unum est: an testari de omnibus bonis sive mobilibus sive immobilibus vi consuetudinis ad causas pias ex bonis Beneficia-libus liceat? Nam Synodus Coloniensis an. 1300. c. 5. non agno-ville appetet, eos sic etiam de bonis immobilibus testari posse; cum statueret: Clerici bona maximè immobilia, quæ per Ecclesiam sunt adepti - Ecclesia relinquant, à qua sunt profecta. Sed intuita Eleemosynæ pauperibus, & Religiosis & piis locis, & illis, qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua NB. juxta servitii merita de mobilibus dare possunt. Conformatiter ad c. 12. de Testamentis. In quo Papa admittit aliqua, quæ per ultimam voluntatem trans-ferri possunt in illos, & quidem mobilia, ut clarum est ex contextu antecedente ibi: *Licet autem mobilia per Ecclesiam acquista &c.* Ita sentire videtur Abbas in c. 7. hi t. Sylvius V. Cleric. 4. Angelus V. emptio. n. 12. Redoanus De Spoliis Eccles. q. 4. Alii ta-men consuetudinem testandi immobilia ad causas pias probant, & tuerunt ut legalem. Cum quibus ad quæstionem

XXIII.

Dicendum. Licet Clerici è redditibus suis Ecclesiasticis seu  
(F) mo-

mobilibus, seu immobilibus testari ad causas pias nequeant de Jure scripto, possunt tamen vi consuetudinis à Jure non improbatæ. Est communissima

**XXIV.** Pr. I. P. ex c. 9. h. t. ibi: De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ percepunt, nullum de Jure facere possunt Testamentum. c. 8. eod. Ad hec præsentibus innotescat, quod Clerici de mobilibus, que per Ecclesiam sunt adepti, de Jure testari non possunt. Idem habetur c. 1. & 12. eod. Item c. 19. 20. & 21. c. 12. q. 1. & c. 4. & 5. ac 6. c. 12. q. 5. Similiter L. 42. §. 2. c. de Episc. & Cleric. Concilia & Decreta Pontificum idem statuentia vide apud Thomassinum de Vet. & nov. Eccles. discip. p. 3. l. 2. c. 47. & seq.

Prob. II. Pars ex c. 12. de Testam. ibi: Licet autem mobilia per Ecclesiam acquisita de Jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint: consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his pauperibus & religiosis locis & illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Quæ verba perpendens Boëtius Epo in suo commentar. ad hoc cap. scribit: Vides ex hoc loco paulatim consuetudinem disponendi per Testamenta de bonis per Ecclesiam questis irrepisse. Primo parum quid relinquendo, prout hic sit, postea largiore manu, donec tandem plena potestas omnium quibuslibet, etiam non pauperibus fuit arrepta; quemadmodum nunc plurimis sit in locis: minimè recte, sed periculosisime, sive spectentur eos, qui dant, sive qui ab iisdem danib[us] accipiunt. Porro licet Papa mentionem faciat mobilium duntaxat, ob paritatem tamen rationis textus extendi potest ad immobilia.

**XXV.** Pr. II. hæc pars. Juxta c. fin de consuet. consuetudo rationabilis potest Juri positivo præjudicium generare, seu illud abrogare; sed consuetudo testandi ex bonis Beneficialibus ad causas pias est rationabilis: ergo. Min. prob. Tum quia in re ac in effectu idem est, sive per donationem inter vivos, sive mortis causâ superflua eroget causis piis, in utroque enim casu satisficit intentioni fundatorum vel offerentium. Tum perinde est sive per Testamentum expendi Beneficiarius curet ea pauperibus, quos inter comprehenditur & propria Ecclesia, aut Beneficium, indi-

Indigens; sive successor eroget iisdem, uti præcipit Gregorius M. Epist. 29. l. 9. Episcopo Neapolitano, quatenus portionem Cleri & pauperum, quam ejus Prædecessor dare neglexerat, ulterius dispensare non differat. Tum possunt mobilia excedere nonnunquam in valore immobilia: igitur si queat v. gr. 1000. florenos testari ad causas sacras, quidni etiam agrum vel vineam, aut domum 800. florenorum?

Confirmatur. DD. passim docent, præter motivum charitatis aut gratitudinis, quod exprimitur in c. 7. h. t. eam fuisse rationem principalem prohibendi Beneficiariis testandi ad causas pias, ut eò lubentius obligationi suæ facerent satis, dum in vivis degunt: ergo si hoc primò exhibeant vi Testamenti, quoad rem ipsam idem erit. Tum quia in ejusmodi consuetudine præsumi potest consensus legalis Papæ; non in consuetudine testandi ad causas profanas; siquidem Archi-Diaconus, Abbas, & plerique alii, ait Azorius Inst. Mor. p. 2. l. 7. c. 9. negant: Papam dare posse consensum ad test. & dum in causas profanas ex bonis Ecclesiasticis, quibus comprehendimus Beneficialia, quæ ex dictis semper manent Ecclesiastica, quandiu per eorum erogationem ultimè non satiatur intentio offerentium. Imò Navarrus in Lib. de Regit. Eccles. q. 3. incunctanter adstruit: Romanos Pontifices, quoties potestatem faciunt simpliciter testandi in usus quosvis, id intelligere in eum sensum, ut in usus tantum pios testari queant, non secus: ergo. Sed

## XXVI.

Audiatur & altera pars.

Fundamentum I. digeri posset ex c. 1. & 2. *De successionibus ab intestato.* Ubi in 1. decernitur, ut Beneficialia bona omnia perpetuò sanctificantur & in jus Ecclesiæ tradantur. In 2. verò cap. jubetur substantia dividiri in 4. partes, quarum una sit parentibus. II. In Conc. Laceranensi Generali an. 1179. relato c. 7. h. t. dicunt Patres: *Nos igitur, quia antiquis Canonib[us] constat inhibitus, indemnitate Ecclesiistarum providere volentes sive intestati deceserint, sive alius conferre voluerint, penes Ecclesiam eadem bona præcipimus remanere.* Sed contra indemnitatē non procedit consuetudo & per c. 7.

(F 2)

de

## XXVII.

de consuetud. Non tam consuetudo, quam corruptela merito est dicenda, quæ sacris Canonibus est inimica. Atqui ex c. 7. h. t. immediate adducto consuetudo testandi ad causas etiam pias est SS. Canonibus inimica: ergo. III. Consuetudo, de qua differit c. 7. de consuet. militavit solum contra Jus Ecclesiasticum, ut liquet ex sumario ibi: Non potest induci consuetudine, ut quis possit dimittere dignitatem sine superiori licentia, vel ut possit electus administrare non habita confirmatione à superiori: ergo à pari.

R. ad I. hoc verum esse de jure scripto; nec obest, quod in c. 2. cit. dicatur: Quarta parentibus assignetur. Nam immediate subditur: & si non sint idonei parentes, Episcopus eam recipiat, & in usum Ecclesie diligenter distribuat. Porro cum in eo Capitulo agatur de Beneficiariis, qui antea servi erant, non potest Capitulum non supponere parentes pauperes. Adde non ibi fieri aliorum mentionem consanguineorum.

R. ad II. conclusionem procedere pro & in casu, quod Ecclesia propria necessaris est instruta, iecus enim testando ad alias causas pias ageret sic testans juxta c. 7. h. t. contra Charitatem & gratitudinem, imò etiam contra propriæ Ecclesiae Jus, quod hæc acquisivit ex dispositione Ecclesiae Universalis, non vero ex intentione offertium, quibus perinde est, seu huic, seu illi loco pio bona Deo oblata impendantur. R. II. Concilium Lateranense ibi agere contra illos, qui bona Beneficia conabantur ad fines profanos transferre, ut notat Glossa, qua translatione nedum Ecclesia propria, sed & alia causæ laudebantur; unde eam juxta Canones antiquos vetat translationem, quæ etiam confuetudine induci non valet ex dictis. Ad alterum R. per hoc probari contra Canones nullam consuetudinem induci posse præsertim cum Alexander III. quoque c. 8. de Sent. & re jud. afferat: Licet usus vel consuetudinis non minima sit auctoritas, nunquam tamen veritati aut Legi prejudicat. Deinde talismodi textus exaudiendi sunt de consuetudine irrationali, & legitimè non præscripta, qualis non est nostra, utpote in c. 12. de Testam.

Dices. Pius IV, nuper allegatus prohibet testari ad causas pias &que ac profanas: ergo si consuetudo non suffragetur Testamentis ad causas profanas, neque quoad causas pias favere poterit. R. Omnes, qui contra Bullam Pii IV. in suis Provinciis semel usu receptam, aut publicaram testati sunt ante lapsum temporis pro consuetudine legitimè prescribenda à Juribus inducti peccasse, ob malam fidem, quam pro inductione & completione consuetudinis legalis requirimus. Hanc autem rursus legitime introductam abrogasse ibidem Bullam Pii IV. quoadea, quæ consuetudine rationabili abrogabilia fuerant, minimè verò illa, respectu quorum consuetudo evaderet irrationalis, uti foret ratione eorum, quibus prohibetur testari ad causas profanas. Innumeris exemplis res declarari posset, nisi displiceret rem notissimam exemplis illustrare. Si tamen absolute unum pro mille desideres, accipe præceptum Ecclesiæ, quo præcipit diem sacram feriari, & simul auditionem missæ. Contra II. potest induci consuetudo, non contra I. eo quod sit Juris Divini.

Instab. Nemo potest testari etiam ad causas pias, nisi de bonis propriis; sed respectu Beneficiorum Beneficialia relicta non sunt propria; cum juxta nos nunquam habuerit Dominium eorum: ergo. Maj. constat; Testamentum enim species donationis est, quæ fieri de rebus alienis non potest. R. d. maj. nomine suo & proprio C. nomine *alio* videlicet Christi, aut juxta alios nomine ac potestate Universalis Ecclesiæ N. maj. & conseq. Itaque Clericus de Licentia Papæ vel vi consuetudinis testatur eo modo, quo superflua erogat causis piis in vivis. Adde donationem & legatum rei alienæ in jure esse validum.

Fundam. II. Papa cum Concilio Lateranensi c. 12. de Te XXIX.  
stam, loquitur duntaxat de *Mobilibus*: ergo non approbat de immobilibus consuetudinem prætensam, argumento deducto à sensu contrario, quod est fortissimum in Jure. Tum si aliud voluisse, expressisset. L. Un. §. Sim autem. C. de Caduc. toll. L. si servum. §. Prætor. ff. de acquir. hæred. & c. 12. de Decimis: ergo. R. n. conseq. Cum enim taciti & expressi idem sit Judicium per L. 3. ff. de reb. credit. L. 4. ff. de Pactis. L. 156. ff. de R. I. Et ubi est  
(F 3.) ea-

eadem ratio, sit eadem juris dispositio, eadem verò planè ratio militet pro mobilibus & immobilibus æqualiter, præsumenda est approbatio utriusque, unius quidem expressè alterius tacitè. Imò si etiam tunc necdum accessisset consensus legalis Papæ respectu immobilium, accessit nihilominus tractu temporis. Argumentum à sensu contrario procedit, quando ab eo non devenitur ad correctionem jurium. 2. Si nullum sequatur absurdum vel inconveniens. 3. Si contrarium non sit expressum in jure. Jam verò jura approbant consuetudinem rationabilem, qualis est consuetudo testandi ad causas pias etiam respectu immobilium, quæ ramen Jura corrigi deberent. Quin etiam contrarium videtur implicitè saltem expressum. Arg. Can. Terrulas, c. 12. q. 2. Extrav. Ambitiose. de rebus Ecc. Ad alterum sciendum, quod causus de Mobilibus fuerit solum delatus ad Concilium, circa quem disponere tantummodo voluit. Adde jam dictum esse: Dispositionem Concilii utpote juris humani per consuetudinem tolli potuisse, supposito, quod de solis mobilibus Papa loqueretur.

Dices: *Expressio unius speciei est exclusio alterius* L. 15. ff. de Except. rei judic. Sed species mobilium fuit expressa in c. 12. h. t. Ergo. R. I. Si etiam positivè foret exclusa species immobilium, consuetudo legitimè præscripta sustulisset legem hanc sic excludentem. R. II. si species sint immediate contraria C. securus N. bona autem mobilia & immobilia in quantum sunt Bona Ecclesiastica, non immediate sibi opponuntur.

Instabis: Nequit induci consuetudo cum gravamine Ecclesiarum; sed nostra consuetudo cederet in gravamen Ecclesiarum propriæ: ergo. min. patet; quiacedederet ei, quod accresceret aliis. R. Si Ecclesia propria plūs indigeret, ac alia causæ piæ, tale Testamentum autoritate Episcopi posse rescindi in tantum, ut succurratur quoad necessaria Ecclesiarum propriæ; unde N. min. & conseq. Ex his jam.

XXX. Sequitur I. In locis,, ubi non viget consuetudo testandi ex Beneficialibus ad causas pias, Beneficiarum nequidem sic testari posse sine Licentia Papæ, vel Episcopi, standumque esse limitatiōni

tioni facultatis obtentæ; sic refert Zypæus h. t. n. 4. Livinum Torrentium Episcopum Antverpiensem pro tota Diœcesi contulisse Jus testandi ad causas pias Beneficiatis, salvo tamen & ei reservato mobilium nummo sexagesimo. In Concilio Vaurense an. 1368. statutum est. Ut Archi Episcopi & Episcopi singuli Ecclesiis propriis conferrent sacram supellecitem, vel 100. aureos legarent ad eam coëmendam. Alias hujusmodi conditiones apparatas esse & quibusdam in locis etiamnum præscribi à nonnullis Ecclesiæ Rectoribus passim illustrare est apud Autores.

Sequitur II. Ex bonis parsimonialibus Ecclesiasticis juxta Sententiam valde communem, qua Beneficiarii vindicat Dominiū eorum, Clericum posse testari etiam independenter à consuetudine vel licentia speciatim obtenta aut generatim concessa, cum juxta eandem opinionem ex his planè valeant testari ad causas profanas. Quod si dixeris; sic Ecclesiæ Prælatus, qui annuatim 100000. aureos assignatos habeat, quos omnes possit in familiae suæ per ampliæ sustentationem insumere, interim parciius vivendo sibi & familiae impendit solum 60000. residuum inter parsimonialia reputat, ita ut intra 8. annos comparterit 400000. aureos, si possit testari sine Facultate Papæ ad causas pias, vel planè profanas, cur non & Beneficiarius multum inferior de 600. vel 700. superfluis Beneficii. Si primum non sit laxum, quomodo secundum dicatur? R. I. Siqua in dicto casu intercurrat laxitas, ea certè originem aliunde non trahit, nisi à Sententia constitente Beneficiarium parsimonialium Dominum; quam tamen Sententiam hodiecum multi negant, ut vidimus. R. II. Suppositum casus negari à quibusdam, est quippe eis imperceptibile, ut hujusmodi Prælatus statui suo, ac causæ Domesticæ morem agat, & tantorum sumptuum rationem habeat, quin superflua contineantur in totius substantiæ hypothesi, quantum verò summam constituant superflua, aut conficiant, necnostrum, nec alterius est determinare, qui conditionem, statum, aliasque circumstantias intercurrentes ignorat similis Prælati. Quamvis hoc certum sit: summam sibi depuratam non ita suam esse, ut quidquid annuatim superesse dignoscatur, jam inter parsimonialia sit reputandum; alioquin juxta AA, superflueret præceptum Ecclesiæ


## XXXI.

siæ præcipiens superfluorum erogationem in egenos. Adde, si quis fingeret Prælatum memoratum 10000. aureis statui suo et si parcius vivendo providere, aut 5000. quis prudenter 95000. reputet, aut referat inter mera parsimonialia, sine eo quod tacite recogitet: tantam quantitatem 100000. aureorum re ipsa non esse necessariam pro honesta sustentatione Prælati hujuscemodi? Idem itaque recogitandum erit in casu priori. Magna Prælato tali debetur summa, sed excessus non potest latere, inquiebat supra S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7.

**XXXII.** Sequitur III. Dum jam materia tam in hac, quam priori in controversia agitata terminanda venit, ex hac tenus dictis, ut fluat nemine impellente oportet, Sententiam usque adeo defensam, minimè explosam esse cœtenuis, decrepitam, à DD. passim desertam, ut nonnulli AA. ingeminant, ut tanquam veritati minus consona, rationibus solitis destituta, &c. manuteneri amplius non mereatur. Quædia verba viri, talis & ipse vir est: Canebat Andreas Delicanus in suo Epigrammate contra Lutherum. Et Caramuel in Apologemate pro Doctrina de probabilitate Epist. I. n. 68. inquiebat: Argumentatores, cum desistuntur Sylogismis, ad injurias recurrunt. Nostræ Sententiæ DD. suam ut probabiliorum tuentur, quin oppositam sua exuere, quam habet, intendant probabilitatem.



PAR-



## PARERGA

### Ex Libro II. Decretalium.


**T**hesis I. Acta & res judicatae seu Sententiae judicis existimati in concursu erroris communis sustineri debent ut valida pro foro Civili & Canonico , interno & externo , si defectus à Rep. vel Ecclesia sit supplebilis.


- II. Etiam sine titulo colorato tam respectu judicis ordinarii, quam delegati.
- III. Princeps superiorem se non agnoscens potest judicare in propria causa inter ipsum & subditum mota.
- IV. Stante æquali probabilitate in jure partium nequit Judex huic potius quam illi adjudicare causam, sed tenetur suadere transactionem , vel divisionem facere, vel per sortem rem dirimere aut arbitros assumere.
- V. In dubio : An Causa sit Ecclesiastica , an Civilis ? pronuntiare spectat ad solum Judicem Ecclesiasticum.
- VI. Priviliegium fori seu exemptio Clericorum à Jurisdictione Laicali est immediate Juris Divini in thesi.
- VII. Clerici tam in Causis Criminalibus , ubi agitur ad punendum Clericum, quam in Civilibus , quibus Clericus convenit actione personali ex Contractu , gaudent Priviliegio fori exceptis casibus in Jure Pontificio expressis.
- VIII. Reus actione reali conveniri potest in loco rei sitæ, etiamsi ibi non existat, ac contra eum institui Judicium nedum peitorium, sed etiam possessorium.

- IX. Forum Academicum vi Privilegiis in Corpore Juris Clausi Auth. Habita. C. Ne Filius pro Patre. se extendit ad Causas Criminales Studioforum.
- X. Si vitium pertineat ad substantiam libelli potest quidem etiam post litis contestationem actor libellum mutare quoad substantiam (si reus indemnis habeatur) non tamen manente formaliter eodem Judicio.
- XI. Stando Juri Communi Clericus nequidem in Causa Civili potest à reo Laico reconveniri coram eodem Judice Laico per modum actionis.
- XII. Reus in Causa Capitali compelli non potest ad deponendum Juramentum calumniæ.
- XIII. Jus indicendi ferias sacras non competit ulli Principi Laico.
- XIV. Citatio Decretoria non est ipso Jure nulla si fiat in die feriato sacro à Judice pro Tribunal non sedente.
- XV. Ut nec oblatio libelli, interpositio Appellationis; bene tamen depositio testium, vel Sententia requirens Processum Judicialem.
- XVI. Judicium Possessorum de re Spirituali vel quasi Spirituali in quaestione facti cuiuscunque juxta Jus scriptum nequit instituia Clerico contra Laicum coram Judice Laico.
- XVII. Extra Judicium universale Possessor bonæ fidei non tenetur rei evictæ fructus consumptos restituere virtualiter adhuc extantes.
- XVIII. Non potest una eademque res à duobus vel pluribus simul & semel possideri pleno Possessionis Jure.
- XIX. Sed neque permanenter neque transunter dari Dominium duorum in solidum.
- XX. Princeps Sæcularis vi Regalium semissim thesauri in loco sacro fortuitò inventi amplius prætendere non potest.

XXL

- XXI. Simplex usus facti in rebus etiam unico uso proprio ac primario consumptibilibus est realiter separabilis à Dominio & Jure utendi.
- XXII. Missus in Possessionem ex primo Decreto Judicis non fit verus Possessor, sive agat realiter, sive personaliter.
- XXIII. Sequester Castrorum vel Prælaturæ, cui annexum est Jus præsenrandi vel conferandi necessarius lite & sequestratione pendente potest præsentare ad Beneficium.
- XXIV. Prædoni competit interdictum unde vi contra Dominum ex intervallo respoliantem.
- XXV. Reus juridicè interrogatus non tenetur in conscientia delictum fateri, si non fatendo possit salvare vitam.
- XXVI. Prælatus inferior potest præscribere Jura Episcopalia è potestate Jurisdictionis emanantia.
- XXVII. Currit præscriptio & compleetur, si Monasterium bona fide præsentavit regularem per 40. Annos, cum præsentare debuisset Clericum Sæcularem, et si postea ex instrumento noviter invento deprehendatur, quod Jus non habuerit, etiam non præcedente contradictione unius & patientia alterius: & econtra.
- XXVIII. Ut Reus in Criminalibus habeatur pro judicato præter Confessionem requiritur, ut constet de corpore delicti & ex aliis probationibus & indiciis Sententia definitiva feratur.
- XXIX. Imò etiam in Civilibus sive post litem contestatam sive ante, adeoque confessio rei nunquam accipit vim rei judicatae ante accessum Sententiaz definitivæ.
- XXX. Res judicata non ita inter partes litigantes Jus facit sicut præscriptio, prouinde victorem pro foro animæ non reddit securum.





Kr 3497

(x225 8755)

vD18

WPA

MM



**Farbkarte #13**



# CONTROVERSIDA CANONISTICA

E titulo XXVI. Lib. III. Decretal.

DE

## TESTAMENTIS

beneficiariorum ex bonis superfluis Ecclesiasticis  
ad causas profanas & pias

*Una cum*

Parergis assertionum ex Libro II. decretal.

## GREGORII P. M.

publicè

defensa

à VV. PP. FRANCISCO SEBALD

&

FRIDERICO FRIDL,

in Ecclesia PP. Franciscanorum Viennæ ad S. Hieronymum,

PRAESIDE

P. F. BENEDICTO MÜLLNER,

Ord. Min. Reform. SS. Theologiæ & SS. Canonum Lectore  
Generali,

nunc

Inclyta Legionis Cæsareo - Berichlingianæ Missionario Castrensi.

Anno 1746. Mensis Augusto.

*Cum Licentia Superiorum.*

VIENNÆ AUSTRIÆ,  
apud Petrum Conradum Monath. 1750.